

www.e-rara.ch

Iohannis Lomeieri ecclesiastae Zutphaniensis De bibliothecis liber singularis

Lomeier, Johannes

Ultraiecti, anno 1680

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-35012>

Caput IX. De bibliothecarum per & post expulsam Barbariem palingenesia.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

thesauro, ut etiam in cœnobio *Polphir* in Borussia, servari perfectissimos.

C A P U T I X.

De Bibliothecarum per & post expulsam Barbariem Παλιγγενεσία.

S E C T I O I.



Ccingimur ad lætiora tempora, quibus post depulsas ingentes illas, & plus quam Cimmericas, ignorantia tenebras, linguæ, artes, & scientiæ novo sole illustratæ sunt. Tantum opus brevi temporis spatio absolvi non potuit; præludium ejus, & quâsi aurora, fuit restitutio Romanæ jurisprudentiæ, cujus historiam, ut capite superiori, verbis *Jacobi Gotofredi* recitabimus: Sed commodum accidit, inquit, ut circa ea ipsa tempora, quibus jam omnis nitor Jurisprudentiæ Justinianæ ferme decoxerat, salutari quodam fidere & divinâ virgulâ sexcentos ferme annos, medio quasi seculo duodecimo A. D. 1136. Opus instinianæum in occidente efferri cœperit. Exactis quippe à Lothario Imp. II. Saxone, ex Italiâ Normannis, & ab eodem ductu Innocentiî II. Pontificis, Melphi seu Amalphi civitate Apuliæ (quæ pars Italiæ diu post alias in potestate Græcorum Imp. steterat) expugnatâ, repertum antiquissimum illud exemplar, & Jurisprudentiæ

An-

„ Ancyle pandectarum , quod Pisani ab Innocentio
 „ II. Pont. Max. & Lothario Cæsare , item II. quia
 „ classe eos adversus Normannum Rogerium juvis-
 „ sent , ceu egregiæ navatæ operæ monumentum &
 „ præmium , retulerunt , ejusque donationis , per
 „ Lotharium collatæ , instrumentum habuisse , se
 „ Plotius Gryphius , Pisanus Historicus affirmat :
 „ Et habuerunt id diu penes se Pisani , unde & in
 „ glossis Pisanæ Pandectæ vocantur , donec per Gi-
 „ num Caponium Florentini A. D. 1406. Pisis in
 „ potestatem redactis , subjectionis symbolum trans-
 „ tulerunt. Unde Pandectis Florentinis nomen.
 „ Inde idem Lotharius Irnerii (quem alii Vernerium
 „ vocant) qui Authenticas Codici subtexit , con-
 „ filio , Jus Iustinianéum & in foro observari , &
 „ in Gymnasiis doceri jussit , ac nominatim , pre-
 „ cibus Mathildæ Comitissæ Tusciæ , Pisis doceri ,
 „ quod Abbas Uspergensis retulit. Itaque Irnerius
 „ & jus Iustinianéum è bibliothecis eduxit , & pri-
 „ mus præterea , interpretationem addidit. Ab hoc
 „ initio ad alias civitates Italiæ & transmontana Gal-
 „ liarum propagata Jurisprudencia , postquam semel
 „ Irnerius vexillum extulit. Cum autem Soloci filo ,
 „ & jejunâ atque asperâ Interpretum operâ Jus tra-
 „ ctaretur , sine ullo historicæ aut philologicæ cog-
 „ nitionis lumine , qua destituti ubique passim impê-
 „ gere , Accursii glossam , ceu fundum Jurispru-
 „ dentia , sequi & enarrare contenti , textu jam
 „ penè neglecto , & abolitis penè libris Justinianéis ,
 „ exorti certatim qui Jurisprudentiam ab his impo-
 „ „ litis

„litiis vindicarunt, tum scriptis, tum ipso textu in-
 „staurato & in his Pandectis Florentinis eductis.
 „*Hæc Gothofredus.* Pandectas Florentinis non sine
 gravi causâ proferri mos est, sit autem accensis funa-
 libus, Monachis, qui eas servant, & summis Magi-
 stratibus, aperto capite, reverenter adstantibus.
 In iis nullæ interpunctiones, nulla scribendi com-
 pendia, grandes ubique literæ, & compares. Græ-
 cum in fronte epigramma, Græcæ præfationes, au-
 thorum librorumque index, quorum hæc leges à fon-
 te emanarunt, ut Justiniani ætate librum descri-
 ptum esse appareat. *Politian. lib. 10. epist. 4. epigram-
 ma legere est lib. XI. ep. 25.* Iurisconsultorum cele-
 berrimus Cujacius multoties bis mille aureos se de-
 positurum obtulit de restituendis Pandectis hisce, si
 ad annum sibi utendæ commodarentur, & quamvis
 nihil non fecerit, commendatione Philiberti Sabau-
 diæ Ducis, & Margaritæ uxoris, ipsis etiam sponso-
 ribus de restitutione allegatis, nihil tamen impetrare
 potuit. Tantum à Cosmo responsum, si Florentiam
 veniret, fore, ut libro ad plenam satietatem uti pos-
 set, neque ad se accepisse ipsum pœniteret. Id unum
 ad explendum animum sibi defuisse, in eoque se desi-
 derio moriturum testatus esse Cujacius. *Thuan. de
 vit. sua. lib. 1.* Hæc quoque fuit summa votorum
Georgii Contradi Crusii, nostri, dum viveret, ami-
 ci, qui magna & sua, & Zutphanix nostræ gloria,
 magno auditorum & doctorum omnium applausu,
 Jus civile in Academia Lugduno-Batava interpreta-
 tus est. Vehementer hic dolebat paucorum operâ

excussum esse *αὐτόγραφον*, in quo tam multa multis observari potuissent. Ideoque Reip. & omnium quibus jus cordi est interesse judicabat, illum librum curatius evolvi.

Plenissima verò lux exorta est, postquam Græci, inter quos & religionis puritas, & literarum studia majori splendore hæcenus viguerant, quam in Italiâ, Germaniâ & reliquis Europæ partibus, Turcarum armis superati, unâ cum Musis in exilium abierunt. Hac clade bonarum artium studia in Græciâ quidem extincta, in Italiâ vero & Germaniâ rursus excitata sunt. Ingenuè hoc fatebatur Johannes Argyropilus Byzantius, qui à Cosmo Medice, Petro filio, & Laurentio nepoti præceptor datus, primùm Florentiæ, deinde Romæ Græcos authores enarravit, quem cum Romæ Capnio Thucydidem interpretantem audiret, Argyropilo reverenter salutato, narrat, se ipsius doctrinæ cupidum esse, Argyropilus interrogat cujas sit, an etiam Græcam linguam intelligat: Hic narrat se Germanum esse, & Græcæ linguæ non omnino rudem: Jubet igitur Argyropilus eum legere partem Thucydidææ concionis, & reddere sententiam. Legit Capnio clarâ voce, & addit interpretationem; cumque & sonus pronuntiationis non esset agrestis, & sententia recte & bonis verbis reddita esset, animadvertit Argyropilus, non admodum tyronem esse in lingua Græca & gemens exclamat: Græcia nostro exilio transvolavit Alpes. *Peucer. chron. car. lib. 5. in Mahumete II.* Suppar planè fuit judicium Legati cujusdam Veneti;

neti, quod recitatur tom. I. declamationum Phil. Melancht. in encomio Suevorum : Cum enim apud Cæsarem Fredericum Legatus sui Principis esset Capnio, & cum Venetæ civitatis Oratoribus, ibidem agentibus, frequenter esset, accidit ut forte Capnio pulcherrime Græcè scriptum Novi Testam. enchiridion manibus gestaret, quod cum vidisset Venetus, simulque animadvertisset non esse rudem Græcarum literarum Capnionem, conversus ad suos Collegas, ait : *Videte, quæso, in Germaniâ hunc virum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quas nostri tam pertinaciter contemnunt.*

Bibliothecarum reparationem promoverunt tum liberalitate Magnates, tum industriâ eruditi & typographi.

Primus inter Magnates hic nobis occurrit *Fridericus II. Imp.* qui cum literas & artes ipse exactè didicisset, Neapoli Academiam condidit, & alibi ante constitutas exornavit & amplificavit. Auxit etiam ornamenta, jura, immunitates & dignitates ordinis scholastici, latis de his & sancitis legibus publicis. Multa ex Græco & Saraceno in latinam linguam traduci curavit, quæ restitutionem veræ & purioris philosophiæ adjuvarent, ex Aristotele, Ptolomæo, Galeno, Avicenna & aliis, ita ut vel unius Frederici II. beneficio, Physica, Medica, & Mathematica studia in occidente revixerint, quæ, inde usque ab irruptionibus Gothicis & Vandalicis, neglecta jacuerant. Gregorii Nysseni opus de naturâ hominis, à Burgundione, hortatu Frederici II. translatum Stabius postea

reperit. *Cuspin. in Frider. II.* Liceat mihi hic inferere memoriam *Benedicti Brugnoli*, qui Heroum, à Julio Cæsare Scaligero decantatorum, agmen claudit; idque solo fide illius somnii, ex quo eum, si vixit, hoc tempore vixisse colligo: talis enim ejus profopopœja fingitur:

Sum Benedictus ego: Brugnolum sacula dicunt:

Ipse tuum docui prima elementa Patrem.

Et Patrem, & Patruos, totamque ab origine gentem,

In quam sum accitus Norica terra fuit.

Noricus huc à Leniaco me Cæsar adegit:

Cui genitor Pacis nomina ferre dedit.

Primus eò Latias adduxi candidus arteis

Græcaque non noto prima elementa sono.

Succedant Pontifices Romani, inter quos primas, hac in parte, tenet. *Nicolaus V.* ante Thomas Sazanus vocatus. Bononiæ literas & bonas artes didicit, maximè verò Philosophiam & Theologiam, adjutus beneficiâ Nicolai Albergati Cardinalis S. crucis, qui adolescentis ingenio delectabatur. Laudatur hujus Pont. Max. liberalitas, quâ in omnes usus est: maximè verò erga literatos, quos & pecuniâ & officiis curialibus, & beneficiis mirificè juvit: Eos enim præmiis nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos Græcos authores in latinum perpulit, ut literæ Græcæ & Latinæ, quæ sexcentis jam antea annis, in situ & tenebris jacuerant, tum demum splendo rem adeptæ sint. Misit & literatos per omnem

mnem Europam, quorum industriâ librisconquire-
 rentur, qui majorum negligentia, & barbarorum
 rapinis jam perierant. Jurium libros ex totâ Græciâ
 perquisitos ad se jusfit adferri, & in latinam con-
 vertilinguam curavit, magna præmia tralatoribus
 præbens. Quinque ducatorum millia promisit ei,
 qui D. Matthæi Evangelium Hebraicum adferret.
 Illicium fortè fuit, quo tot brevi deinceps tempore,
 sub Matthæi nomine, Euangelia Hebraica cusa &
 venditata fuerint; Libri sacri ejus jussu descripti, au-
 ro & argento redimiti. Laurentius Valla, cum ab
 eo quæfisset Nicolaus V. cur senex jam & in latinis
 literis consummatus, tanto studio Græcas disceret,
 Ut duplicem, inquit, abste, Pontifex, mercede-
 dem accipiam. *Jov. Pontan. tom. 1. pag. 270.* Cum
 ei renuntiatum esset quosdam esse Romæ, qui bonos
 versus facerent, negavit bonos esse: *Cur enim*, in-
 quit, *ad me non veniunt, qui Poetis etiam malis*
pateo. Herm. Barbar. præf. in Plin. Adeo ingenia
 excitavit & fovit, ut vix ævum inveniri possit, quo
 magis humanitatis & eloquentiæ, cæterarumque
 bonarum artium studia, quàm illius tempore flo-
 ruerint. Illud certè nemo negaverit, tot ei à do-
 ctissimis viris inscripta esse volumina, quot neque
 suorum prædecessorum, neque Imperatorum cu-
 juspiam nomini dicata comperimus. Unum tamen
 è doctis ab eo neglectum, mirandum est. Blon-
 dum Flavium Foroliviensem, qui res à declinatione
 Romani Imperii, usque ad suam ætatem toto orbe
 patratas, in tres digesfit decadas, Romam descri-

bendo instauravit, Italiam illustravit, deinde, triumphantem urbem scribere adorsus, omnem vetustatem aperuit. Sed ita ferunt hominum mores. Per raro quenuquam extollit Pontifex, quem præcessor amavit. Hic itaque fundamenta jecit Bibliothecæ Vaticanæ, in quâ circiter tria millialibrorum volumina condidit. Unde hoc epitaphio ejus insertum elogium:

*Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse viros. & post.
Attica, Romana complura volumina lingua
Prodidit, en tumulo fundite ibura sacro.*

Ex An. Sylv. descript. Eur. cap. 85. Platin. &c.

Sequitur est *Calistus*, de quo *Dominicus Capranicus*, sacerdos Cardinalis, cum intellexisset eum Pontificem creatum à Collegio Cardinalium, quod ejus degenerantem cognovisset animum, *quàm fatuè*, inquit, *fatui fatuum creavere*. hic paucis diebus sumtuosissimam hanc Bibliothecam dissipavit. *Jov. Pontanus tom. I. pag. 385.*

Xystus verò IV. qui *Paulo II.* succesit, non tantum pontes, vias, mœnia instauravit, sed etiam Bibliothecam palatinam in Vaticano, advectis ex omni Europâ libris, construxit, certosque proventus, unde custodes & librarii Latini, Græci, Hebraici mensura salaria, quibus ali possent, haberent, librique alii emerentur, assignavit. Quod ipsius epitaphium simulacro ejus in Palatinâ

latinâ Bibliothecâ ascriptum confirmat :

*Templa, domum, expositos vicos, fora, mœnia,
pontes,*

*Virgineam trivii quod repararis aquam,
Prisca licet nautis statuas dare commoda portus,*

Et Vaticanum cingere, Sixte, jugum :

*Plus tamen urbs debet, nam quæ squallore late-
bat,*

Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

*Onuphr. in vit. Xysti IV. Middendorp. de Acad. orb.
Christ. lib. 1. c. 3.*

Nec minori liberalitate eandem auxit & ornavit
Leo X. ex Mediceorum familiâ: Hic Pontifex libe-
ralibus studiis ipse institutus, ab Angelo Politiano,
& Bernhardo Michelotio, viros doctos ita coluit,
magnisque adeo muneribus profecutus est, ut publi-
co elogio *literatorum Præsidium* inscriberetur. Ni-
hil enim antiquius duxit, quam bonorum artium
studia majorum suorum, maximeque Laurentii pa-
tris exemplo provehere. Ante omnia ab epistolis
Petrum Bembum & Jacobum Sadoletum, omnium
literatorum eloquentissimos habere voluit. Vaticanæ
Bibliothecæ, Beroaldum juniorem præfecit. Gy-
mnasium Romanum, accitis unde quaque gravissima-
rum artium præstantissimis professoribus, illustravit.
Augustinus Niphus Sueslanus Philosophiam, Chri-
stophorus Arretinus Medicinam, Hieronymus Bu-
tigella Iuris scientiam profitebantur: Humaniora
vero studia Janus Parrhasius Consentinus, græcas

literas Basilius Chalcondyles Demetrii filius docebant. Singulos verò vel mediocris nominis literatos magnâ liberalitate sublevabat. Romanis porrò vectigal salis imminuit, eosque præmiis, ac immunitatibus multis, publicè privatimque est persecutus. quam ob rem solenni decreto fratrem ejus Julianum civitate donatum, maximo apparatu, convivioque in Capitolio, & variis ludicris scenicisque artificiis susceperunt. Egere in scenâ Plauti Pœnulum decore mirabili, & priscâ quidem elegantia Romanæ juventutis lepidissimi quique, variaque extra ordinem Poëmata recitata. *Jov. histor. lib. 11.* Leoni in palatio Capitolino marmorea statua dedicata, cum hac inscriptione.

OPTIMO PRINCIPI LEONI X. MED.
 JOAN. PONT. MAX. OB RESTITUTAM
 INSTAURATAMQUE URBEM
 AUCTA SACRA BONASQUE ARTES
 ASCITOS PATRES SUBLATUM VECTIGAL
 DATUM CONGIARIUM.
 S. P. Q. R.

Onuphr. Panvin. in vit. Leonis X. Quingentos aureos donavit Quæstori cuidam, qui in monasterio Corbejensi, ad Visurgim, primores Taciti libros antea ignotos deprompserat: *Lips. ad Tacit. annal. 2. n. 34.* Adeo hic augustissimus scriptor temporum injuriam evitare non potuit, quamvis Tacitus Imp. quod parentem suum eundem diceret, in omnibus Bibliothecis collocari, & ne lectorum incuriâ deperiret,

riret, librum per annos singulos decies scribi publicitus jufferit, & in Bibliothecis poni. *Fl. Vopiscus.*

Familia Medicæa quæ regnavit Florentiæ hac laude præcipuè claruit. Primus *Cosmus Medicus*, qui patriæ Musarumque pater appellatus est, Argyropilum, Chrysoloram, & plerosque alios Græcorum doctissimos, ingenti magnificentiâ, Byzantio Florentiam excivit, Græcis literis Hetruscorum mentes imbuens, literasque quasi postliminio restituens, *Baron. ad ann. 1413.* Hinc illud Cosmi elogium.

*Cosmus in has ades meliora volumina rōpux
Transtulit, & primas, quas habet orbis opes.*

*Sic genuit tandem sterili de nomine Cosmus
Rem sibi cum mundo cœlitibusque parem.*

Secutus *Laurentius Medicus* qui ad Bajazeten II. Legato usus Johanne Lascare, è Lascarinâ Imperatoriâ stirpe orto, impetravit, ut liceret ei tutò abditas Græciæ bibliothecas perscrutari, & conquirere in omnibus artibus & disciplinis, de Ecclesiæ doctrinâ, & historiis scripta volumina, inque Italiam transferre, de quibus collecta præcipue atque instructa est Bibliotheca Mediceorum Florentiæ. Lascari egregiam operam, in hac librorum conquisitione, navavit Cherseoglis, qui Chersechii reguli in Illyrico filius abjuratâ Christianâ religione, Bajazetis gener effectus erat. *P. Iov. Hist. lib. 14.* Hic Laurentius Platonis statuam erutam ex ruderibus, ubi sita olim Academia erat, atque ad se ex Græciâ allatam, ab Hieronymo Pictoriensi magno redemit. In hac le-

ctiffimorum librorum copiâ magis gloriari, quàm divitiis solebat, eamque amicis deliciarum loco ostendere. Hanc Bibliothecam in rebus dubiis se consultuisse refert Angelus Politianus, plurimaque hinc in lucem prodierunt: *Eusebii scilicet Casariensis liber adversus Hieroclem, & Clementis Alexandrini stromatum, & padagogi libri. Middendorp de Acad. orb. Christ.* Optabat Laurentius tanta sibi ab Angelo Politiano ac Pico Mirandulâ, ad libros emendos præstari incitamenta, ut tandem, deficientibus sumptibus, totam supellectilem oppignerare cogatur. *Teste Leonicensio, epist. 6. lib. 2. epistolarum Politiani.* Hoc moribundi votum, hæc vox erat ad Picum & Angelum, vellem distulisset me saltem mors ad eum diem, quo Vestram plane Bibliothecam absolvisssem. *lib. 4. epist. 2.* Idem Hermolaum Barbarum, quamvis pedum doloribus summis vexaretur, in villa Cajana honorificentissimè accepit, eamque illi, studiorum causâ, liberalissimè obtulit. *Crinii de honest. discipl. lib. 16. cap. 9.* Hanc eorum munificentiam celebrat *Hieronymus Vida Cremonensis, Albæ Episcopus. lib. 1. Poët.* his versibus:

*Fam pridem tamen Ausonios invisere rursus
Cœperunt, Medycum revocata munere Muse.
Tuscorum Medycum, quos tandem protulit atas
Europæ in tantis solamen dulce ruinis.
Illi etiam Graja miserati incommoda gentis,
Ne Danaum penitus caderet cum nomine virtus,
In Latium advectos juvenes, juvenumque ma-
gistros,*

Ar-

*Argolicas artes quibus esset cura tueri,
Securas Musas jussere, atque otia amare.*

*Illi etiam captas late misere per urbes,
Qui doctas tabulas, veterum monumenta vi-
rorum,*

*Mercati pretio adveherent, quæ Barbarus igni
Tradebat, Danaum regnis, opibusque potitus.*

Hac Bibliotheca Medicea, tam grandi pecuniâ, tot tantisque doctorum virorum peregrinationibus atque laboribus quæsitâ, cum Medicei Florentiâ eicerentur, una cum alio pretioso opulentæ domus instrumento, sub hasta vendita est. *P. Jovius hist. lib. 1.* Sic ergò Romam, & inde extra Italiam avecta est. Hanc Catharina Medicea, magno pretio, quantumvis Cosmo contradicente, comparatam, in Galliam transportandam impetravit, & per Bibliothecarium peculiarem seorsum quamdiu vixit, apud se habuit. Hanc demum Thuanus à creditoribus Regis pecuniâ redemptam, in Bibliothecam regum inferendam curavit, & congestum à magnis Regibus thesaurum tantâ accessione locupietavit. *Thuan. de vit. suâ. lib. 1.*

Nec silentio prætereundus *Johannes Galeazius Mediolanensium Dux*, qui liberalibus stipendiis omnium disciplinarum Professores conduxit, qui in Gymnasio Ticinensi, à Patre, munere beneficioque Caroli IV. condito, juventutem docerent. Bibliothecam quam etiam pater inchoaverat, erecto juxta templo, rarissimis codicibus implevit, hortatu Francisci Petrarchæ, cujus amor, quasi divino

instinctu, Galeazium fere quinquennem invasit. A patre enim in Senatum iutroductus, & ut eum, quem sapientissimum judicaret, suo indicio proderet, jussus, Petrarcham nunquam antea visum, in eo confesso, tunicâ prehensum, amicissimis verbis rogavit, ut paternam cathedram occuparet, quod judicium summâ cum admiratione, & omnium applausu exceptum est. *P. Jov. in Elog. Joh. Galeaciy.*

Alphonsus Arragonum & Sicilia Rex in extruendâ Bibliotheca maximè fuit sollicitus. Tantis librorum amator, ut insignibus suis passim librum appinxerit, & omnium suarum gemmarum ac thesaurorum, quam literarum jacturam facere malle per sancte aliquoties affirmaverit. *Kirchn in curric. Ferdin. I. Lips. mon. pol. lib. 1. cap. 8.* Cosmus Medices, quamvis hostis (adeo etiam hostium animos literarum amor conciliat) Livii Decades ei dono miserat, quas cum evolveret, medicis probihentibus, & ne fortè veneno infectæ essent, metuentibus: *O stulti, respondit, an nescitis Regum animas in Dei O. M. tutela esse? Crinitus de honest. disciplin. lib. 18. cap. 9. Chassan. Catal. glor. mundi part. 12. consider. 73.* A Patavinis brachium T. Livii, summi muneris instar impetravit, exorante Antonio Panormitâ Legato, anno salutis 1451. cum verò ignoraretur, ecquid de brachio illo factum esset, Johannes Vincentius à Portâ Nicolao Peireskio Senatori Aquensi scripsit, neque Alphonsum morte præventum, neque etiam Panormitam id brachium pro votis condere potuisse: Successorem verò istius, à

se-

secretis regni, conclusisse sub marmore, collocasseque extra oratorium cum inscriptione hujusmodi: TITI LIVII HISTORICI BRACHIUM QUOD ANTONIUS PANORMITA A PATAVINIS IMPETRAVERAT, IO. JOVIANUS PONTANUS MULTOS POST ANNOS CONDIDIT. Cæterùm à multis jam annis id marmor non fuisse conspectum, ob sacellum, à nescio quibus fratribus, super extructum. *Gassend. in vita Peireskii.* Cum Alphonsus arcem Neapolitanam instaurare decrevisset, Vitruvii de Architectura librum ad se adferri jussit, verùm cum sine ornatu, sineque asseribus allatus esset; *Non decere inquit, hunc potissimum scriptorem, qui nos, quomodo contegamur, tam belle doceat, detectum incedere.* Librum igitur egregiè ad usum parari mandavit, & omnibus semper ædificiis adhibuit.

Robertus Rex Siculus & Neapolitanus in bibliothecam suam congeffisse dicitur octoginta clarorum Poëtarum opera, maxima ex parte nobili genere oratorum, ex Provincia librorum amator summus, qui diademate quàm libris carere maluerit. Adeo delectabatur ingenio Petrarchæ, ut totos tres dies cum eo locutus sit. *P. Matth. in hist. de muliere Catanensis.*

Matthias Corvinus Hungaric Rex filius Johannis Hunniadis, belli & pacis artibus clarus, ad huc adolescentulus auditis aliorum fortibus & præclaris factis, adeo accensus fuisse dicitur, ut exultim trepudians, quasi de animi potestate exierit manuumque

numque pedumque applausu virtutis stimulos testatus. Præcipuam tamen laudem apud posteritatem ei peperit cognitio admiratioque doctrinarum omnis generis, singulareque in his propagandis studium. Delectatus maximè historiarum cognitione, quas ex Græcâ linguâ multas in Latinam transfundi curavit, sui usus causâ. Præceptorem habuit Galeottum Martium, de quo Iovius. *elog. doct. viror.* 34. Didicit studiosè multa de stellarum motibus. Doctos, præcipue Mathematicum peritos, & poëtas ad fastigium amplissimorum honorum evexit. At præ cæteris Joh. Regimontanum tanti fecit, ut crebrò eum, eruditorum colloquiorum causâ, mensæ contubernio adhibuerit. Non immerito itaque hæc inscriptio tumulo ejus addita est, ab Antonio Tebaldeo:

*Corvini brevis hæc urna est: quem magna fatentur
Facta fuisse Deum; fata fuisse hominem.*

Quod cum Maximilianus I. Imper. legisset, flevisse dicitur. Hic heros ingenti sumtu amplissimam bibliothecam comparavit, in qua supra 50000. volumina typis impressa, & MSS. servata fuerunt, ad eam ornandam operam obtulit Politianus *lib. 9. epist.* 1. Cum autem Buda, qui præstantissimi hujus thesauri custos erat, à Solimanno Turcarum Imp. anno 1526. caperetur, hæc etiam bibliotheca direpta est, cum vix 60. annos florisset: quanta verò hæc jactura fuerit inde colligi potest, quod Cardinalis Bozmannus ducenta millia nummorum Imperialis monetæ pro illâ Turcis frustra obtulerit. Alexander Brassicanus viderat, in hac Bibliothecâ,

Hy-

Hyperidem integrum, cum locupletissimis scholiis; grandem librum Apostolicorum canonum; Theodoretum Cyrenensem in Psalterium integrum; Chrysostomi, Cyrilli, Nazianzeni, Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Theophani, Dorothei infinita opera; Marcum Monachum cognomento Anachoritam; Præter Poëtarum, Oratorum, Philosophorum atque Historicorum vim immensam; Auctores item Græcos innumerabiles, infinitaque in omnes ferè Poëtas commentaria, nulli, aut paucis antea visa.

Hottinger. biblioth. quadríp. pag. 15. Spizel. dissert. prælim. ad sacr. biblioth. Ex hac prolata sunt *Polybii & Diodori Siculi fragmenta*, quæ tum primum prodierunt. Et Heliodori historia Æthiopica per militem ex hac bibliothecâ erepta: qui ex Opsopoco, Gesnero, Vadiano refert M. Neander, *præfat. ad Gnomol. Gr. Lat. p. 10. ad marg.* Nec illud silentio prætereundum, quod narrat *Rantzovius in catalogo excellentium Astrologorum pag. 62. 63.* Anno 1572. postquam tot anni à devastatione hujus bibliothecæ effluxissent, Davidem Ungnadium Legatum, ex adverso januæ inter rudera invenisse globum cœlestem, tenentibus eum duobus angelis, compositum ad tempus electionis Regis, his versibus subjectis:

*Cum Rex Matthias suscepit Sceptra Bohemæ
Gentis, talis erat lucida forma poli.*

Idem Rantzovius hunc Regem jure merito, inter Heroas à se laudatos sequenti carmine celebravit:

*Extulit hunc cœlo virtutis gloria Regem:
Floruit & fausto Pannonis ora statu:*

Ter-

*Terruit hic favos factis & nomine Turcas ,
 Mente ad sceptrâ sagax , acer ad arma manu.
 Aurea quaesitum Buda volumina chartis ,
 Quae dederat docto Gracia prisca stylo ,
 Donec & hanc capiens rapidis incurfibus arcem
 Congestas Sophia Turca abolevit opes.*

Mense Januario, ut & Februario anno 1666. Vienna Austriae nunciavit nobis Mercurius Batavus, Turcarum Imperatorem, à Comite Leslio, legato Caesareo, saepe rogatum, hujus Bibliothecae spem non tantum fecisse, sed etiam Bibliothecario suo in mandatis dedisse, ut ibi Comes Leslius Albam Graeciam appulerit, omnes libros eò transportandos curet, quod etiam praestitum.

I. Picus Mirandulae Comes septem in comparandis libris aureorum nummum millia exposuisse dicitur.

Hoc nomine etiam celebratur *Fredericus Feltrinus Urbini Dux*, quem in literis hospitem non fuisse ostendit colloquium ejus cum Pio II. Pont. Rom. de armis veterum & bello Trojano. *Pius 2. descript. Af. cap. 74. Polit. lib. 3. epist. 6.* Hic Bibliothecam omnium judicio celeberrimam condidit, quam postea *Guido Princeps, ejus filius*, cum auro & argento, tum copiâ librorum adauxit, ornavitque. *Polyd. Verg. de invent. rerum. lib. 2. cap. 7.* Librorum alii panno aureo, atque serico villosa obducti sunt; olim omnes auro argentoque ornati, sed ab *Alexandro VI.* omnibus ornamentis spoliata fuit, atque translata. Eam postea *Julius II.* restituit. Multae in ea Graecorum

corum auctorum sunt translationes, quæ lucem hæctenus non aspexerunt. *Hotting. biblioth. quadriproleg. cap. 2.* Franciscus Maria, Fræderici ex filiâ nepos, à Leone X. Pont. Rom. bonis exutus, postquam tumultuario exercitu sua quædam recuperasset, Pontificis etiam ditiones invasisset, æquiores pacis leges impetravit, quibus etiam hanc Bibliothecam sibi sartam tectam servavit. Factum hoc anno 1517. *Guicciard. lib. 13. cap. 9.* Constabat hæc 14000. voluminibus; Alexander VII. P. M. eam curavit Romam transferri, per Abbatem Burattium, Consistorii Advocatum: si vera nobis narravit Mercurius Batavus, mense Januario 1667.

Nec levi operâ promovit negotium hoc *Bessarion Nicenus, Græcus, E. R. C. Patriarcha Constantinopolitanus*, qui bibliothecam græcam, triginta millibus nummum aureorum emptam, Venetiis extruxit, ne omnino græca literatura deficeret. *Platin. paneg. in Bessar. card.* Epistolam Bessarionis Italice ad Venetos scriptam vid. apud *Angelum Roccham bibl. Vatic. pag. 388. 389. 390.* Latine vertit & exhibet Ph. Camerarius, *hor. subcis. cent. 3. cap. 72.* *Franciscus I. Galliarum Rex*, eruditorum Mœcenas liberalissimus, ex consilio Budæi, Græcos & Hebræos Professores in Academiâ Parisiensi constituit. Prandens atque cœnans de literis, & avidissimè quidem loquebatur, usus ad eam rem per multos annos Jacobo Colino homine docto. Post hunc subjicit Petrus Castellanus. Abiis, quicquid est in poetarum, historicorum, cosmographorum libris, hauiserat: quic-

quicquid de plantis, herbis, animalibus, metallis, gemmis prodiderunt, Aristoteles, Theophrastus, Plinius, & id genus alii, multo usu & quotidianâ recitatione cognitum habebat, & exploratum, de Mathematicis & rebus divinis frequens erat colloquutio, Parisiis apud S. Victorem, & apud Aquæ bellæ fontem bibliothecas, quas, per homines idoneos, conquistas undique ex mediâ Græciâ & Arabiâ libris illustravit, ob eam rem Guilielmum Postellum diu in Oriente aluit. Nec solos homines doctos, verum etiam typographos, librarios, & typorum quibus excuduntur libri, fusores, opificia sua exercentes, ut animum illis adderet, visere dedignatus non est. *Sleid. Comment. lib. 19. P. Galland. Orat. de Franc. I. Zwing. Middendorp. lib. 5. & alii.* Ad Robertum Stephanum subinde visitabat, cui cum aliquando non vacaret, quod eorum quæ tum edebantur emendationibus intentus esset, paulum expectare iussus est. *Heins. epist. ad Primer.* Hunc verò Regem, literatorum Mœcenatem tantum, Petrum Gillium neglexisse mirum est. Hunc, cum de bibliothecâ extruenda cogitaret, in Græciam Asiâque Rex legaverat, ut Græcos codices MSS. undique conquistos in Galliam asportaret. Sed præter spem à Rege destitutus, coactus est castra Perfarum sequi tyro, ea ætate, qua veterani emereri solent, tandem variis casibus jaçtatus, à Gerbensibus pyratis captus, carceri mancipatus, à Cardinale Armeniaco redemptus est. Petrus Belonus amanuensis scripta ejus surripuit, ac pro suis edidit *Toll.*

app.

app. ad Pier. Valer. de infelic. liter. Fontanablina
 postea Parisios tranſvecta, quamvis non interierit,
 per affiduos tamen bellorum civilium nimbos valde
 diſſipata eſt. Golnitz. Ulyſſ. pag. 158. Celebravit
 eam ſequenti carmine, ad Carolum IX. Gallix Re-
 gem ſcripto, Johannes Auratus :

*Et Ptolemaeorum pallatia clara fuerunt,
 Et Ptolemææ littora nota Phari:
 Littora, nocturnâ fulgente per æquora flammâ;
 Conſpicua, & longo præſpicienda mari.
 Quæ, dubium per iter, nautis vice Sideris eſſent,
 Et regerent gratâ nautica vela face.
 Sed non ille vagis nautarum cur ſibus ignis,
 Gratiſ in dubio dux erat ante freto:
 Clara, Palatinâ quàm quæ fulgebat ab arce,
 Altera doctõrum Bibliotheca Pharos.
 Unde, per innumeras diſperſa volumina terras;
 Ingenii nitidas exercuere faces.
 Illa ſed, ut rerum mortalia cetera, fato
 Functâ ſuo Regum munera præſca jacent.
 Nullaque nunc Pharos eſt, everſaque culminâ
 turris,
 Exinctique jacent & ſine luce foci.
 Nec minus ipſa jacet, Muſæi nomine dicta,
 Obruta cum libris Bibliotheca ſuis.
 Sed pia Regis avi Franciſci, Carole, cura
 Conquirens doctæ diruta ſaxa Phari.
 Muſeumque novum Muſis ſacravit, & illis
 Fontis aquæ bellæ rite dicavit aquam.
 Cedat Alexandrina pharo pharos inclyta Gallæ,*

Cedat

Cedat Francisco vis, Ptolemæ, tua.

*Doctorum tua non habuit plus aula librorum,
Et plus doctorum nostra habet aula virum.*

Fuggeri, inter reliquas magnificentiæ laudes, hanc primam habuere, quod non modò (ut multi) in optimorum authorum voluminibus, maximo sumptu, undique conquirendis laborarunt, sed etiam summâ liberalitate in Reip. Christianæ utilitatem, eosdem typis excudi curarunt. Ideoque *Huldericus Fuggerus*, Henricum Stephanum, typographorum illud lumen, annuo stipendio conduxerat, quo obstetricante optimi Latini & Græci scriptores editi sunt. Cum autem hac in re multos sumptus faceret, à suis, bonorum suorum administratione, ut prodigus & ineptus, summotus est. Itaque ad Fredericum II. Comitem Palatinum se recepit, post verò sua recuperavit, & fratris sui morte insuper ditatus est: partem bonorum suorum pauperibus legavit, sex studiosis annum stipendium constituit, bibliothecam verò Palatinatui donavit. obiit anno 1548. *Thuan. Hist. lib. 8. Zwing. Bandart. apoph. part. 2. lib. 3. ex inscriptione Heidelbergensi. Bucholz. ad annum 1584. Lundorp. contin. Sleid. lib. 24.* Hoc nomine egregiè laudatur *Diogenus Hurtadus* Cæsaris Caroli apud Venetos Legatus: inter reliquos præcones habet & Lazarum Bonamicum qui de eo sic canit:

*Cui tanta est fortuna copia, tanta bonorum
Librorum, ingenii multò solertia major:*

Ad montem Atho quosdam, qui libros ibi describerent misit, quare in eodem carmine sic ait Bonamicus:

— — *Tu multos mittis ad altum*

*Scriptores Atho, huc veterum monumenta virorum
Comportaturos — —*

Didacus Mendoza ejusdem Imp. Caroli V. apud Venetos Orator, ut ornare posset bibliothecam, quam animo moliebatur, legatos à Bessarione thesauros expilavit, tam subtiliter, ut nunquam fur aliquis doctius furtum perpetraverit. Ad suos jam redierat, gratus scilicet hospes, antequam aut persentisceret Respublica, aut quis ex bibliothecæ procuratoribus. Nam armaria, ex quibus manuscriptos ac membranaceos codices abstulerat, aliis vulgaribus, & ejusdem prope molis libris replevit, ne ante deprehenderetur furtum, quam speciosa ejusejurandi foret ratio.

Schoock. Orat. 4. Sigismundus Augustus Poloniæ Rex hac in re usus opera *Francisci Lismanini* Corycyræ natione, qui relicto monasterio Franciscano, quod est Cracoviæ, & educis secum aliquot monachis, Evangelii confessoribus se adjunxit. Nihilominus tamen singulari apud Regem polluit gratiâ, adeo ut quicquid circa religionem Evangelicam Rex sentiret, id omne in sinum ejus effunderet, & sæpius ex Calvini Institutionibus, qui Regi erant familiares, de singulis fidei articulis, cum eo conferret. Deinde iter ad exterarum nationes Rex ei demandavit, præsertim Helvetios visitare jussit, sumtus subministravit, idque tum ut ritus & disciplinam Ecclesiarum Helveticarum probè cognita haberet; tum ut Bibliothecam Regiam libris omnium generum instrueret: hisque confectis in cucullo habituque monastico rediret. Lustratis igitur

tur Tiguro, Bernâ, & aliis Helvetiorum civitatibus, Genevæ substitit, ibique uxorem duxit. Rex, ipso diutius Genevæ manente, plurimum offensus, in pio suo proposito languescere cœpit. Ad eum Lismaninus, cum libris quoscoëmerat, literas, virorum eruditorum Genevâ mittebat. Conradus Gesnerus Medicus Tigurinus Lismanini & aliorum ex Poloniâ instinctu ad Regem Poloniæ scripsit, & operam suam in conquirendis libris ultrò ei obtulit. Anno 1555. 12. Novemb. *Regenvols. Hist. Slavon. pag. 126. 127.*

S E C T I O I I.

Accedimus ad operam & studium eruditorum, quod, Bibliothecas reparando, in his tribus potissimum occupatum fuit. I. In veterum monumentis, hic illic latitantibus, ac pene sepultis, è tenebris eruendis, à blattis & tineis vindicandis. II. In authoribus ex unâ in aliam linguam transferendis. III. In novis operibus & scriptis concinnandis & edendis. Veteres authores ab interitu vindicare opus admodum difficile est, nec præstari potest nisi ab illis, qui, felici aliquo fidere, ad antiquas Bibliothecas deducti, illas excutiendi facultatem nacti, inde promant, quod deinde lucem aut primò aspiciat, aut ad veteres authores emendandos faciat. *vide Voss. de philos. lib. I. cap. 21.* Quantâ cum difficultate Suidam, vel ad paucas horas, & quidem ab amico utendum accipere potuerit, testatur Erasmus in Proverbio *Festina lentè*, & addit: „Latitant in collegiis & monasteriis Germanorum, Gallorum, Anglorum
„per

„pervetusti codices , quos exceptis paucis , adeo
 „non communicant ultro , ut rogati vel celent , vel
 „pernegent , vel iniquo pretio vendant usum decu-
 „plo æstimatorum codicum. Tandem pulchre ser-
 „vatos , vel caries tineæque corrumpunt , vel fures
 „auferunt.

Similem historiam legas in vitâ *Conradi Pellicani*
apud Melchiorem Adamum. Cum enim audisset
 Pellicanus Ratisbonæ , apud Prædicatores haberi
 Hebraicam Bibliothecam , ingressus vidit non solum
 Hebraica Biblia , sed & totum Talmud in sex partes
 distinctum , una cum dictionario Talmudico , omnia
 manuscripta. Rogavit ut describendum Dictiona-
 rium darent , fidejubente Gardiano Chalemensi ,
 sed recusarunt Monachi , quorum ne unus qui-
 dem callebat linguam hebraicam. Postea per avun-
 culum suum Episcopi Spirensis Georgii Palatini
 commendationem adeptus est , ad fratrem ejus
 Episcopum Ratisbonensem , ut Dominicani Ratis-
 bonenses Talmudici Dictionarii exemplar Pellicano
 describendum concederent , id quod nihilominus
 difficulter ab eo impetravit.

Magnam hac in re diligentiam adhibuit *Matthias*
Flaccus Illyricus ; Nam cum vidisset catalogum au-
 thorum , quem Abbas Johannes Trithemius conte-
 xuerat , temperare sibi non potnit , quin , dissi-
 mulata persona & habitu in Germania , Monasteriorum
 bibliothecas perlustraret : quos commodè posset hi-
 storicos clam auferret , atque isto adminiculo li-
 brum , qui catalogus testium veritatis indigitatur ,

conscriberet. *Melch. Adam. in vita Illyrici.* Eodem modo, varia illa doctorum piorumque virorum de corruptæ Ecclesiæ statu poemata se collegisse ipse in præfatione testatur. Dolendum sanè multa multorum veterum scriptorum monumenta, superiorum seculorum iniquitate intercidiſſe; nec minùs dolendum, multos nobis invideri, aut pro genuinis obtrudi, idque illorum Criticorum opera ac studio, qui videntur sibi tanto naso præditi, ut cum supercilio etiam de veterum scriptis iudicium ferant, fatis præpoſterum, non ex stylo, sed scripti titulo iudicantes, qui sæpe ſuppoſititiuſ & fictuſ eſt. *Vives de cauſis corrupt. art. lib. 1. pag. 34.* ejus rei exempla ,, duo narrat: quidam in veteri Bibliotheca re-
 ,, perit Verſiculos pulvere & pedore obſitos, ille
 ,, tanquam Virgilianos veneratus eſt, cum tamen
 ,, eſſent hominis tum viventis: & aliuſ Ciceronis epi-
 ,, ſtolam, cui conſultò erat nomen Gallicum præ-
 ,, poſitum, magno ſaſtidio aſpernatus eſt, addito
 ,, etiam convitio barbariæ tranſalpinae. Placet iudicium Joſ. Scaligeri, præfat. ad Jul. Cæſ. comm. *Quæ enim ſiſis, inquit, alioqui tot obſervationum, tot notarum? quouſque paginas omnes obſidebunt varia & vanæ ſæpe lectiones: quouſque Criticorum agmina limen librorum & poſtlimen? Excutiuntur proſectò ſcriptores ipſi e manibus, dum avida juventuſ ad hæc diverticula abit, & πᾶρεργα iſta curat velut ἐργα. Quàm multi jam qui libros tantum legunt ut emendent? ut illoſ melioſeſ faciant, non ut ſeſe? Itaque toti in vocaliſ aut Syllabiſ aliquot examinandiſ ſunt:*

& ſe-

& segetem illam uberem rerum sententiarumque sub-
 ter habent, paleis modo lectis. Quid ergo? tu negas,
 inquit, utilem hanc Criticem? Non nego imo ne-
 cessariam fuisse confiteor, elegantiore hac doctrina re-
 nascente. Sed renascente. Nunc cum adulta firmaque
 ea sit, cur togam hanc ei invidemus puram, ut sic
 dixerim, & virilem? cur lectionem fluctuare ultra
 patimur, & agitari ambitiosis istis correctorum ven-
 tis? At erunt loci plures etiam corrupti. Esto. relin-
 que tamen aliquid lectorum industria & iudicio, quos
 malo equidem non penitus intelligere, quam ad singu-
 la trepidos herere. Dies nonnulla ex istis deteget: &
 quis scit, si ex antro aliquo liber? Tu tantum tempe-
 ra, & vide ne quod studium antea fuit, morbus nunc
 sit. Accedit, quod libris jam inventis, non minus
 tædium devorandum fuit, tum in legendis literis
 illis fugientibus, ac pessimè pictis; tum in vero sensu
 scriptorum non uno modo corruptorum, interpola-
 torum, mutilatorum eruendo. De priori illo malo
 queritur Franc. Petrarca (in epist. dedic. tractatus de
 vitâ solitariâ) nimirum opus illud, licet breve, decies &
 amplius cœptum esse: vix tandem à quodam Sacerdo-
 te ad umbilicum perductum: cum tanta esset scripto-
 rum inertia, ut literulis exiguis, compressis, & quasi
 super aliis equitantibus, omnia sic confunderent, ut
 ipse scriptor brevi post tempore rediens, nedum em-
 tor, vix legere potuerit. De altero audiamus, Mu-
 retum, var. lect. lib. 15. cap. 9. infine: Solebant,
 inquit, homines imperiti, qui, avorum aut proavo-
 rum nostrorum temporibus, victum sibi describendis

libris queritabant, quæ perperam scripserant non delere: ne libros suos, multis lituris deformatos, minus vendibiles redderent, iterumve totas paginas describere cogerentur, sed iis, ut erant, omissis, cætera persequi. Atque ea res innumerabilem errorum copiam in omne scriptorum genus invexit. Hoc malum imprimis auctum fuit ab illis qui sibi præ aliis sapere visi sunt. Recte Barthius, advers. lib. 40. cap. I. Ego vero, inquit, quo stupidiores librarios, eo meliores nos libros nancisci arbitror, qui enim sapere sibi visi sunt, ii contaminarunt plura ut nasutiores, ceteri, non tam astuti, fideiores erant, quæque assequi non poterant, ita ut offendebant, chartas tradebant. Herculeis ergo viribus opus fuit ad hoc Augiæ stabulum expurgandum; adeo ut verissime cecinerit D. Heinsius in obitum κερικωλότης Lipsii:

*Nam tibi nec Brenni feritas despecta Camillo
Expugnanda fuit, Cimbrove orienda juvenus,
Servorumque ignava manus; non compede ruptâ
Spartacus, & vixtas Libyam qui transtulit Alpes:
Sed longeva lues, metuendaque secula Divis
Omnibus, & toto veniens grassator ab orbe
Barbarus eternam juratus tollere gentem
Æneaque Deos.* — — —

Sed tamen indefessa verè doctorum virorum industria, plurima, de quibus etiam conclamatum videbatur, restituit. *Franciscus Petrarcha* (primus Poeta laureatus summo cum S. P. Q. R. applausu factus Romæ, die resurrectionis Dominicæ A.

1341. ætatis suæ 37. vid. Paschal. de coronis, lib. 5. cap. 14.) pro-avorum memoriâ, Bibliothecas ultra 200. annos clausas referavit primus, & pulverem situmque è monumentis Authorum excussit, quo nomine plurimum ei Latinus sermo debet. *Viv. de trad. discipl. lib. 3.* Quomodo plurimæ & Jurisconsultorum veterum & Imperatoriarum constitutionum, ante Justiniani tempora promulgatarum, reliquiæ à viris doctis, diverso tempore, ab interitu vindicatæ sint, ostendit *Jacobus Gothofredus in Bibliotheca juris Romani, quæ manualis partem constituit cap. 2. & 3. quem vide.*

Arnobii commentarius in psalmos è collegio Canonicorum inter Wormatiam & Spiram, vulgò Franc-kental dicto, erutus, Erasmo oblatus, & ab ipso editus est. *Erasmi præfat. in Arnob. ad Adrian. VI. P. R.*

Seneca ludus in Claudium Casarem in Germaniâ repertus, in lucem emerfit Erasmi tempore. *vid. Prov. aut Regem, aut fatuum nasci oportere.*

Libri Tertulliani cum multis ætatibus latuissent, circa annum 1520. reperti sunt in Germaniâ, studio & curâ Beati Rhenani Seletstadiensis apud Frobenium excusi. Rhenanus in præfatione ad Stanislaum Turcum, Episcopum Olomutzensem, historiam, his fere verbis narrat: Prosequebamur Udalricum, Zafium Colmariam usque, quò cum venissemus, Jacobum Zimmermannum illic Decanum adivimus. In cujus bibliothecâ forte vetustum quendam codicem arripui, nonnulla Tertulliani continen-

„ tinentem opuscula , quem is ex Paterniaco , Trans-
 „ jurano cœnobio, commodum attulerat. Hunc cum
 „ me videret avidius evolvere , libenter permisit ut
 „ mecum auferrem. Deinde cum paulo post agerem
 „ Argentorati , intellexissemque Thomam Rappi-
 „ um , ad thermas Hercinias proficisci velle , roga-
 „ vi hominem , ut Hirsaugiense cœnobium , quod
 „ illinc non multum abest , adiret , & Tertulliani vo-
 „ lumina , quæ illic extare acceperam , commoda-
 „ tō deferret. Is vix dum biduum fuerat in thermis,
 „ cum Abbas Hirsaugiensis , cum patre Nicolao Ba-
 „ sellio , illuc quoque lotum venit. Sic contubernii
 „ & convictus menstruâ ferme consuetudine inter-
 „ cedente , facilius voti compos factus est. Itaque
 „ Tertulliani libros secum attulit , quos ab illo pau-
 „ lō post apud Basileam agens , accepi non minori
 „ gaudio quam si gemmas mihi misisset. *Hæc Rhenanus. Angelus Politianus. lib. 4. Epist. 5.* se jam
 tum plurima Tertulliani opera legisse testatur , quæ
 fortasse in Italiâ , studio Mediceorum , aliunde ac-
 cepit. In edendo Tertulliano laboravit etiam *Sigis-
 mundus Gelenius* , ad quem *Johannes Lelandus* , ex
 ultimâ Britannîâ , misit exemplar , in vetustissimo
 Masburenfi cœnobio repertum ; hujus codicis be-
 neficio , præter eos quos Beatus Rhenanus edidit,
 habemus libros *de Trinitate ; de testimonio anime :
 de anima : de spectaculis ; de baptismo : contra Gnosti-
 cos Scorpium : de Idololatria : de pudicitia : de je-
 junio adversus psychicos : de cibis Judaicis epistolam :
 de oratione. Libros duos ad nationes hætenus medi-*

tos, Anno 1625. post annos MCCC C. publicavit *Jacobus Gothofredus* Jctus. Codex MS. unde hi libelli descripti sunt, fuit Agobardi Episcopi Lugdunensis, qui vixit tempore Caroli M. Ludovici Pii, & filiorum ejus. Lugduno enim in Bibliothecam Tornæfianam translatus, inde in manus Gothofredi pervenit. Multa interim Tertulliani scripta hactenus desiderantur. *Carmen de Jonâ & Ninive* inventum à *Pithæo*. tom. 8. *Biblioth. Patrum*.

Georgius Merula Alexandrinus, Politiani æmulus, auspicio Ludovici Sfortiæ, Principis Mediolanensis, libros aliquot vetustissimos invenit, sed quoniam mors prævertit, publicare non potuit. Obtulit operam suam Politianus *lib. XI. epist. XI. & aliis*. Sed nihil impetravit.

Bibliotheca Monast. Murbacensis in superiori Alsatia *Vellejum Paterculum* servaverat, unde eum bono publico protulit *Beatus Rhenanus. Lips.*

Plinii epistolarum libros IX. cum X. ad Trajanum, & Panegyrico è Galliis in Italiam detulit, & Aldo Manutio excudendos dedit *Aloysius Mocenicus Reip.* Venetæ apud Regem Christianissimum Orator. Ætate verò Vincentii Bellovacensis (vixit ille anno Christi c13 ccl temporibus Papæ Innocentii IV.) *Plinii epistolæ circiter centum* legebantur, convulso volumine. *Voss. in Plin. epist. de Christ.*

Primum N. T. Græcum tempore Pellicani, ex Italiâ in Germaniam allatum. Bibliopolâ Tubingensi Biblia Hebraica integra, Pisauri in Italia, *minimâ*

nimâ formâ impressâ adferente, nemo ea curabat, floreno cum dimidio emi poterant. Johannes Frisius Bononiâ & Venetiis totum Talmud & Majmonem aliosque multos libros Hebraicos attulit. *Ex vita Pellic.*

Johannes Sichardus impetrato à Ferdinando Austriae Duce diplomate, illius ditionis Bibliothecas perscrutatus, in codicem Theodosianum incidit, multis tum seculis desideratum, cumque primus edidit. *Melch. Adam. in vita Sichard.* Eidem instaurando operam navavit Johannes Tilius Engolimensis, qui ejus codicis libros posteriores octo integros, postquam M. annos latuerant, rursus in lucem revocavit, & unâ cum octo prioribus edidit, quos Alaricus Gothorum Rex ita diminuit, ut vix decima pars in his hodie appareat eorum quæ in Theodosiano codice continebantur. Jacobus Sirmondus, plurimos bonis proximis scriptores e tenebris situque erutos legendos dedit, laudatus eo nomine à Bartho, *advers. lib. 51. cap. 4. & 5.*

Liviana historia libros quinque postremos, bono quodam genio in Bibliotheca Monasterii Labrisseni, aut, ut vulgò, Lorfensis, omnium Germaniæ Bibliothecarum antiquissimâ, reperit *Simon Gryneus*. Archetypum erat mirandæ vetustatis, prisco more perpetua literarum serie ita depictum, ut difficillimum fuerit verbum à verbo dirimere nisi docto, attento, & in hoc ipsum exercitato *Erasm. prafat. ad notas Rhenani in Livium.* Anno 1615. Bambergæ, Hectore Corzario, Imperialis Ecclesiæ

Decano, bibliothecam publicam recognoscente ac transferente, *Jo. Horrion*. S. I. Sacerdos dum singulos codices excutit, in membranas incidit quæ complures T. Livii libros, in his partem priorem XXXIII. adhuc desideratam servabant. Unde exemplum factum Fran. Battolino Urbinati non invidit; atque is id Venetiis cum Ant. Quærenghi notulis; multo correctius ipse inventor Paderbonæ 1617. protulit; tacito quidem per modestiam nomine, sed quod ex Bern. Rottendorffio didicit criticorum seculi nostri quondam antesignanus Joh. Fred. Gronovius, qui & hæc, & multorum aliorum in Livio restituendo labores, sua in hunc scriptorem præfatione enarrat.

Eidem monasterio Lorssensi si non totum, saltem magnâ ex parte *Isybinum* debemus, ut narrat Sitchardus suâ in illum præfatione: Item *ultimum librum Ammiani Marcellini*, qui in eo majusculis literis scriptus inventus est. Fuit ibi exemplar, quod Virgilii manu scriptum titulus præmonebat. Id autem Monasterium est è regione WORMATIÆ, sive Berbetomagi, trans Rhenum, à Carolo magno extructum, & librorum copiosissimâ supellectile instructum: à Frederico II. Imper. omnibus privilegiis orbatum, & Episcopo Moguntino donatum. Joh. Dalburgius Episcopus Wormatiensis meliores quosque codices hinc in Ladenburgensem Bibliothecam transtulit. *Hosp. de orig. monach. fol. 162. Munster. cosmogr. lib. 3.* A nonnullis sparsum fuit Jovianum Pontanum, quædam
Cice-

Ciceronis volumina, in Casinatis montis non incelebri bibliothecâ reperisse: quæ mox paullum, sed (quod necesse fuit) in deteriorem partem commutata, ut ab se composita, ediderit. *vid. Voss. de hist. lat. lib. 3. cap. 8.* Anno 1581. Woinuskus quidam nobilis, in comitatu legati Polonorum, penitiora Muscoviæ & Podoliæ lustrans, in Walachiæ Bibliotheca, multa atque egregia scripta invenit: Inter alia libros *Ciceronis de Republica* ad Atticum, aureis literis exaratos. Idem Woinuskus Polonis persuasit, ut celeribus equis secum ulterius proficiscerentur, se illis *Ovidii Nasonis sepulchrum* ostensurum promittens. Cumque sex dierum itinere à Borysthene, per vastissima loca progressi essent, in amœnam venere vallem, in cujus medio fons lympidissimus. Juxta hunc evaginatæ acinacibus, gramen, quod eo loco copiosum erat, demetere cæperunt, donec Sarcophagum virgultis quisquiliisque tectum, & in eo literarum vestigia invenerunt; quibus à sordibus purgatis, epitaphium Ovidii legerunt. Erat autem hujusmodi.

*Hic situs est Vates, quem Divi Cesaris ira
Augusti, Latiam cedere jussit humo.*

Sape miser voluit patriis occumbere terris

Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.

Est autem hujus sepulchri locus ad fines Græciæ, non procul à Ponto Euxino, quondam habitatus, ut ex ruinis adificiorum & urbium videtur. Scribit hæc *Michaël ab Isselt* in continuatione commentariorum

L. Surii.

L. Surii. De libro Ciceronis, quem de notis inscripisse videtur, ex Joh. Trimetii, scriptoris Ecclesiastici, Polygraphiâ, sequentia transcripsit Andreas Patritius in fragmentis Ciceronis à se collectis: *M. inquit, Tullius Cicero facundus orator Rom. librum scripsit, non parvæ quantitatis, notarum ad filium, quem sanctus Cyprianns Carthaginensium presul & martyr, multis & notis & dictionibus ampliavit, in modum scilicet dictionarii, ubi secundum ordinem ponuntur characteres designata, ita ut dictio quævis per notam sibi significaretur præpositam. Rarus est codex, inquit, & à semet duntaxat repertus vilique pretio emtus cum anno Dominicae nativitatis. M. C. D. X. C. VI. bibliothecas plures, librorum amore perlustrarem, reperi memoratum codicem, in quodam ordinis nostri monasterio, nimia vetustate neglectum, projectum sub pulvere atque coniectum. Interrogavi Abbatem Doctorem juris, quanti illum aestimaret, respondit Sancti Anselmi parva opuscula nuper impressa illi præferrem. Ad bibliopolas adii, postulata Anselmi opuscula pro sexta floreni parte comparavi, Abbati & monachis gaudens tradidi, & jam prope interitum actum codicem liberavi. Deceverant enim pergameni amore radendum. Ego autem, inquit, librum hæcenus habeo integrum, & incorruptum, quem nusquam vidi alibi. His notis autem, inquit, tam Tullianis, quam à Cypriano inventis, biennio post in Bibliotheca majoris Ecclesiæ Argentinensis reperi totum Davide psalterium exaratum, nisi quod liber inscriptionem, ab ignaro quodam propositam haberet*

beret *Psalterii in Armenicâ linguâ, cum inscribendus esset, Psalterium Davidis regis Latinum, notis Tullianis descriptum. Etsi autem earum notarum in illo libro tanta esset copia, ut omnino ad scribendum omnia sufficere viderentur, pauca tamen se subjecisse scribit. utrum verò hic liber ipsius sit Ciceronis, an Tullii Tironis liberti ejus? disquirendum est. Ciceronem hunc modum per notas scribendi aliquos docuisse certum est, vid. Lipsii cent. 1. ad Belg. epist. 27.*

Gasparinus Grammaticus ac Rhetor sua tempestate illustris, Barzizæ natus, qui est in agro Bergomati vicus obscuri olim nominis, Venetiis, mox Patavi, inde Mediolani, multâ nominis celebritate, literas docuit, primus omnium ad veteris eloquentiæ umbram, quæ sola supererat oculos retorfit. Primus in tres illos M. T. C. ad Quintum fratrem libros, quum diutissimè non extitissent, incidit, quos fitu & vetustate consumptos, diligenti curâ ac studio emendare adortus, tantum intentiore lectione profecit, ut opus non solum desideratum, sed deploratum etiam in publicum exhibuerit.

Poggius Florentinus Ciceronis libros de finibus & de legibus, in Germaniâ descriptos: primus in Italiam attulit. Idemque etiam Fabium Quintilianum, sub tempus Constantiaci conventus, ex Galliâ Romanam deportavit, quem ignotum, squalidum, tetroque pedore carceris consumptum, in falsamentarii tabernâ repertum, in apertum retulit. Eodem tempore, idem Poggius Silium Italicum, cum blattis tincisque

tineisque miserè per aliquot secula, conflictantem, è latebris in lucem produxit. Huic præterea debemus *Asconium*, item *Argonauticorum Valerii Flacci lib. 1. 2. 3.* & partem quarti, quod ex manuscripto Laurentii Pignorii, probat Vossius *de hist. lat. lib. 3. cap. 5.* in quo codice hæc leguntur: *C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in monasterio S. Galli prope Constantiam XX. millibus passuum, unà cum parte Q. Asconii Padiani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum. Nos, quod potuimus, egimus.*

Poggius Florentinus.

Maximi Tyrii sermones Joh. Lascares ex Græciâ attulit & Cosmo Paccio in Latinam linguam transferendos dedit. *Enoch. Asculanus* invenit *Marcum Apicium & Pomponium Porphyriorem* in Horatii opera scriptorem egregium.

Guarinus Veronensis Catullum municipem suum, situ & squalore confectum, lucemque ex diuturnis tenebris reformitantem, ita absterfit, ut in publicum exire non erubuerit. *Plat. in Nicol. V. Sabel. dial. de reparat. ling. latina.*

Aldus Manutius in antiquissimâ quadam Galliæ Bibliothecâ reperit *carmen Catulli de Vere. Eras. prov. Amyclas perdidit silentium.* quod cum diu deinceps latuisset, rursus repertum, à P. Pythæo, I. Doufa F, Weitzio, Salmasio, Scriverio, titulo *Pervigilii Veneris. Phædrus fabulator, Augusti libertus*, plenus bonæ spei fuit ad posteritatem perventura scripta sua, ut multis locis non

obscurè ostendit, præsertim *fab. 86. ad Particulanem*:

*Particulo, nomen Chartis victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis.*

Sed hæc spes ei penè decollavisset, si absque *Pithais clarissimis fratribus* esset, quibus vitam debet. Quem *Faërnus* imitans, & dissimulans nobis inviderat. *Thuan. hist. lib. 37. Mercurii Trismegisti Pimander*, cum diu inter Græcos latuisset, diligentiam *Leonardi Pistoriensis*, Monachi, ex Macedonia in Italiam advectus est, tempore *Cosmi Medicei*, Patriæ Patris, à *Marsilio Ficino* autem in latinam linguam versus. Judicium de hoc scriptore vide apud *Hoornb. de convers. Ind. lib. 2. cap. 3. in fine.*

Æschylum, Poetam Græcum, pluribus seculis non visum, reperit *Cuspinianus*; ut & *Johannem Monachum*, historicum, Græcum, à solo *Andrea Alciato* citatum. *Cuspin. in Cassiod. coff. ad annum Ch. 33.*

Petrus Victorius Anno 1540. primo edidit *Electram Euripidis*, quæ cum hæctenus latuisset, inventa est, & è tenebris eruta, à duobus adolescentibus, *Bartholomæo Barbadoro*, ac *Hieronymo*, cum vetera ejus Poëtæ exemplaria inter se conferrent, & in eum usum undique conquirerent.

Johannes Arcerius Frisius primus Græcè divulgavit *Jamblichum de vitâ Pythagoræ* ejusdemque duas ad Philosophiam orationes protrepticas. *Voss. de Phil. lib. 1. cap. 16. §. 3. David Hæschelius Augustanus*

gustanus *Procopium* primus Græcoedidit, dum cessat Bonaventura Vulcanius, vide *Epistolas Scaligeri ad Hæschelium*. Procopii verò historiam Gothicam, suppresso authoris nomine, ediderat *Leonardus Aretinus*; propterea, mortuus furti damnatus est, accusante Christophoro Personâ, qui aliud exemplar nactus, Gothicam, Persicam, & Vandalicam, Græci authoris titulum ingenuè profitendo, transtulit. *P. Jovius in Elogiis L. Aretini & Personæ*. Agobardi Lugdunensis Episcopi opera, cum per octingentos annos delituisse, à *Papirio Massono* in quodam bibliopolio inventa sunt, & à compactore, qui cultro jam jam ea erat dilaniaturus, redempta: prodierunt primo Parisiis, anno 1605. *Bessarion Nicanus*, Cardinalis, invenit Poëma *Coluthi*, cui titulus Ελένης ἀρρωστίας. Item Poëma *Cointi Smyrnæi*, quo Homeri Iliadem continuerit, depositum in templo D. Nicolai ad Hydruntem, maritimum Calabriae oppidum, unde Poëta ipse *Quintus Calaber* dictus est. *Quenstedt dial. de patris vir. doct. pag. 481. 482. Scaligerian. pag. 325. Rhodom. in præfat. ad Calabrum.*

Chronicon Lamberti Scafnaburgensis ex monasterio Augustinensium, eorumque Bibliothecâ Wittenbergensi à *Secerio*, jussu *Melanchtonis*, exscriptum & editum.

Engelberti Admontensis, in Styria Abbatis, qui sub Rudolpho Habsburgio floruit, libellus de ortu, progressu & fine Romani Imperii, in Bibliothecâ illius Monasterii à *Caspate Bruschio* inventus & editus est. Eiusdem *Ethica* quædam in eodem cœnobio

servantur. *Bolduan. biblioth. Philosoph.*

Johannes Aretinus exemplar *Thucydidis*, ab Eugenio Papa Constantinopolitano, dono acceptum, Basileam tulit, ubi centum amplius annos servatum, à Joachimo, deinde à Camerario in lucem editum.

Johannes Sambucus Tirnaviensis Pannonius, professione Medicus, eam in veteribus libris colligendis diligentiam adhibuit, eam in publicandis liberalitatem declaravit, ut Magnatibus, qui hac re laudem consecuti sunt, ipse privatus æquari sane debuisset, & inter eos locum meruisset, nisi ipse eruditus, inter eruditos numerari malle visus fuisset: quod *Nonnus Dionysiacorum scriptor, Aristanetus, Eunapius, Hesychius, Theophylactus in acta Apostolorum & alii ejus beneficio editi* abunde testantur. *Thuan. lib. 8. Hist.* Edidit Emblemata, & nummos veteres, præfixâ dedicatione ad Johannem Grolierum, Quæstorem Regium, & Consiliarium Lutetiæ, in qua se per triennium multis modis Bibliothecam suam auxisse, & antiqui operis numismatibus, maximè raris, cumulasse testatur, ut vel summis Cardinalibus admirabilis Romæ, & per Italiam Principibus fuerit.

Amarus Ranconetus, admirandâ politioris literaturæ, ac antiquitatis cognitione, mathematicarum artium scientiâ, acerrimo etiam judicio emicuit. Senator Burdigalensis, mox in Senatu Lutetiano inquisitoriarum classium præses factus, cum gravissimis de causis reus esset factus, atque in arcem Bastiliam conjectus, exquisito mortis genere (quod

ex

ex judicio astrorum, & illius scientiæ, quam unâ cum Hieronymo Cardano excoluerat, jam pridem eventurum sibi ipsi prædixerat) obiit. Hic quidem scriptis evulgatis non inclaruit, fertilem tamen scribendi materiam aliis præbuit, copiosissimam siquidem librorum tam impressorum, quam manusciporum & summâ industriâ annotatorum, supellectilem post se reliquit, ex quâ, tanquam ex Equo Trojano, plurimi illustres scriptores prodierunt. *Lundorp. contin. Sleid. lib. 2. anno 1559.*

Johannes Lelandus Londinensis, antiquitatis Britannicæ diligens inquisitor, vetera totius insulæ monumenta, magno ubique cum labore perlustravit. Incognita locorum & rerum ex nimîâ vetustate vocabula, per optimos authores revocavit, & quo facilius intelligerentur, tam originalibus quam usitatis explicuit nominibus. Exoletos & oblivione penè sepultos authores Britannicos solus resuscitavit. multa ipse conscripsit. claruit anno 1546. sub Henrico VIII. cui à Bibliothecis fuit. Postea in phrenesin incidit. *Balans.*

Jovianus Pontanus antiquissimo firmabat testimonio, *Propertii elegias*, se adolescentulo, primum in lucem prodiisse, cum antea, incitia temporum, incompertæ forent, & incognitæ: opusque oblitteratum & longissimo ævo absumentum, corrosis & labentibus literis, in cellâ vinariâ, sub doliis inventum apparuisse, &, cum libelli vetustate, verbis & nominibus absumentis, longo situ & senio, quod in diuturna obscuritate latuerant, veram lectionem as-

sequi nequirent, effectum, ut mendosi inde codices prodirent; paulatimque discuti errores & corrigi ccepti sunt. *Alex. ab. Alex. lib. 2. cap. 1.* Paulus Frambottus typographus Patavinus reperit Tragurii, apud Dalmatas, in Bibliotheca Cippicorum (olim Capiones appellabantur) insigne fragmentum Petronii, quod anno 1655. ex apographo concesso operis suis & sumtu communicavit: quem secutus in Sueciâ vir eruditus *Johannes Schefferus*, hortatore, & exemplum transmittente *Nic. Heinsio*, editionem adjectis notis iteravit, narrat hæc *Thomas Reinesius* in præfat. scholiis suis in hoc fragmentum præfixâ.

Augerius Busbequius Cæsareâ legatione fungens apud Turcas, magnam etiam in libris conquirendis diligentiam adhibuit; sic de se ipso narrat: *legat. Turc. epist. 4. in fine.* „ Reporto magnam farraginem Veterum numismatum, quorum præcipuis donabo Dominum meum. Ad hæc librorum Græcorum manuscriptorum tota plaustra, totas naves, sunt, credo, libri haud multò infra 240, quos mari misi Venetias, ut inde Viennam deportentur. Converteri omnes angulos, ut quicquid restabat hujusmodi mercis, tanquam novissimo spicilegio, cogerem. Unum reliqui Constantino- poli, decrepitæ vetustatis totum descriptum litera majuscula, Dioscoridem, cum depictis plantarum figuris, in quo sunt paucula quædam, ni fallor, Cratevæ, & libellus de avibus. Is penes Judæum Hamonis, dum viveret, Suleimanni Medici filium, quem ego emptum cupivissem, sed me deterruit

„pretium. Nam centum ducatis indicabatur,
 „summa Cæsarei, non mei, marsupii. Ego in-
 „stare non desinam, donec Cæsarem impulero, ut
 „tam præclarum authorem ex illa servitute redimat.
 „Est vetustatis injuria pessimè habitus, ita extrinse-
 „cus à vermibus corrofus, ut in via repertum vix ali-
 „quis curet tollere.

Dubium utrum inter Magnates an doctos sit nu-
 merandus *Nicolaus de Peiresko, Senator Aquensis*,
 cum hinc ejus liberalitas & magnificentia, illinc ejus
 indefessum studium & diligentia in omnis generis
 eruditione promovenda, maximè vero circa libros
 colligendos, admodum insignis fuerit. Ejus vitam,
 à Petro Gassendo sex libris descriptam, cum legerem,
 quæ inde excerpfi, hic ascribam. „Hic itaque Nico-
 „laus Fabricius de Peiresko in orientem misit Theo-
 „philum Minutium, ex Minimorum ordine, qui
 „exemplaria Biblica requireret, obtenta prius, tam à
 „summo Pontifice, quam à Generali ordinis licen-
 „tia, provisoque, ne vel commeatus, vel necessa-
 „rium voluminibus coëmendis pretium deesset. E-
 „sua sanè spe frustratus non est, ille enim optima for-
 „te, comperit statim, acquisivitque Biblia Sama-
 „ritanica, cum adjunctis in tritaplorum formam,
 „Hebraïcis, Arabicisque (sed Samaritanico cha-
 „ractere) præter duo testamenta Syriaca, Arabicos-
 „que codices complures. Daniel Dayminius ex iis
 „Franciscanis, quos recollectos, nominant, seriam
 „operam navavit, ut tam hi libri quàm alii, ac va-
 „ria etiam numismata, in Minutii inciderent ma-

23 nus. Mandarat etiam ut in Cypro perquirerentur
23 codices, quibuscum fuerat eclogarum seu excer-
23 ptorum Porphyrogeneticorum repertus: at iis sic
23 fuere exturbati, ut nulla tandem exploratione,
23 quantumlibet sedulâ reperiri potuerint, Minutius
23 vero ex Ægypto, prospero successu, adveniens,
23 libros asportavit non paucos, ac potissimum Co-
23 pticos, hoc est, caractere & idiomate Ægyptio
23 antiquo conscriptos, præter dictos Samaritanos,
23 quos jam ante miserat. Destinavit deinde Peires-
23 kius iteratò Minutium, ut venatum iret libros O-
23 rientales, factò præsertim animatus prædari viri
23 Jacobi Golii, quem Hollandiæ Ordines, pro-
23 pter insignem Arabismi, Matheseosque peritiam,
23 substituere in dyltis duobus Academiæ Professori-
23 bus, Thomæ Erpenio, & Willebrordo Snellio:
23 Golius scilicet nomine impensisque Ordinum bis
23 jam in Orientem profectus, tantum corrogarat &
23 in Academia deposuerat librorum thesaurum, ut
23 viso eorum indice, Peireskius subito studio inar-
23 ferit mittendi rursus in Orientem, qui in id incum-
23 beret, ut quantum liceret per privatos sumtus, si-
23 miles libros Gallia haberet. Dedit autem Minutium
23 in comitatum Margævillæi, qui mense Julio 1631.
23 Constantinopolim discessit. Et dare quidem præ-
23 terea voluerat Holstenium, Buccardum, aliosque
23 eruditos viros, qui freti autoritate, & patrocini-
23 nio Regii oratoris, Bibliothecas in monte Atho,
23 aliisque in locis explorarent; verum illi utcunque
23 forent ad id peragendum propensi, non potuerunt
23 tamen

„ tamen esse satis tempori ad discedendum compara-
 „ ti. Unicus comparatus fuit Gallaupius, qui, non
 „ multum tamen temporis Constantinopoli mora-
 „ tus, discessit in Libanum montem, & cum Ma-
 „ ronitis ita constitit, ut etiamnum cum illis degat.
 „ Anno sequenti 1632. libri à Minutio ex Oriente
 „ missi sunt, cum numismatis variis, ac Basilidia-
 „ nis præsertim: Inter cæteros, ut minimum mo-
 „ le, ita pretio maximum habuit quoddam volu-
 „ men (quod à volvendo ita reverâ dici potuit) re-
 „ pertum intra capsulam, ad Mumixæ cujusdam pe-
 „ des: Id universè conscriptum erat hieroglyphicis
 „ literis, constans ex Germanâ papyro, ac facile sua
 „ vetustate superans bis millia annorum. Alia postea
 „ vice accepit Peireskius magnam Græcorum codi-
 „ cum copiam (quantam scilicet capere poterant duæ
 „ capsæ peramplæ) at felicitas par non fuit, seu quod
 „ ad integritatem, seu quod ad subjectam materiam
 „ attinuit. Nam præter Biblia Arabica, Arabicè,
 „ Persicè, Chaldaicè, cum Rabbi Salomonis Com-
 „ mentariis conscripta, & alia item Arabica, cum ini-
 „ tiis capitulorum Samaritanis; cæteri omnes valde
 „ vulgares, aut mutilati admodum fuere. Anno
 „ 1633. in lucem prodiit B. Clementis Epistola ad
 „ Corinthios scripta, nuper ex Ægypto, Constan-
 „ tinopolique in Angliam allata. Sub idem tempus
 „ Ægidius Lochiensis, è Capucinorum familia, ex
 „ Ægypto rediit, ubi toto septennio linguis Orien-
 „ talibus operam navaverat. Is indicavit codices ra-
 „ ros in cœnobiis variis extantes. Memorabile au-

„ tem est visam ipsi Bibliothecam octies mille volu-
 „ minum, quorum pars non exigua præ se ferret æ-
 „ vi Antoniani notas. Quandoquidem verò inter
 „ cætera animadvertisse se dixit, Mazhapha Einock
 „ seu Prophetiam Enoch, declarantem ea, quæ ad
 „ finem usque seculi eventura sunt, librum Europæ
 „ pridem invisum, illic autem caractere ac idioma-
 „ te Æthiopico seu Abyssinorum, apud quos is fue-
 „ rat servatus, conscriptum: Ideo Peireskius sic fuit
 „ accensus ejus, quoquo pretio, comparandi stu-
 „ dio, ut, nullis parcens sumptibus, ipsum denique
 „ sui faceret juris. Hac diligentia factum, ut excer-
 „ pta Polybii & Nicolai Damasceni reperta, & ejus
 „ sumptibus ex insula Cypro advecta sint. Idem
 „ Peireskius sollicitè ex oriente expectavit libros he-
 „ xaplos, octaplosque. Fuit in illis Psalterium sex
 „ columnarum ordinibus, totidemque linguis, idio-
 „ matibusve distinctum, quod, piraticam expertum
 „ injuriam, nullo non pretio fuit redempturus, etsi
 „ non emptum pluris quam libris Turonicis 24. Hinc
 „ nullum lapidem non movit, donec piratas appu-
 „ lisse Tripolin Africæ accipiens, ad Bassam seu Gu-
 „ bernatorem illius civitatis scripsit, amicis interpo-
 „ sitis, illeque spem fecit transmittendi librum. Con-
 „ tigit porro, ut nonnulli, perspecto ejus desiderio,
 „ sperataque magna mercede advexerint librum,
 „ quem prædicabant sibi in ea urbe concreditum:
 „ sed erat Arabicum Thomæ Erpenii Dictionarium.
 „ Hæc ex vita Peireskii.

Investigandis libris Arabicis maximam curam,
 sum.

sumptum & operam impendit *Nicolaus Clenardus*, ut ex ejus Epistolis ad Jacobum Latomum videre est: Sed quam potestatem librorum avehendorum Rex Fesanus illi primò fecerat, postea nebulonis cujusdam invidiosi sermonibus incitatus, denegavit. *lib. 2. epist. ad Carol. V.* petit Clenardus, ut Cæsar illi libros concedat, qui in Hispaniâ, Inquisitorum jussu, comburebantur. *Georgius Doussa* multos Græcos codices Constantinopoli attulit, inter alios etiam *Georgii Logothetæ Chronicon Constantinopolitanum* à fratre Theodoro Doussâ editum. Admodum perfrictæ frontis fuit, qui, cum *Laurentii Vallensis* Elegantiarum libros in honore esse dolerent, in vulgus sparsere, eos jam olim in Germaniâ fuisse repertos; quodque scripti essent literis fugientibus ac fatiscentibus, vix certis cognitum indiciis tandem fuisse, *Ascomi Pediani* esse opus: cujus calumniæ meminit Marianus Accursius, in diatribarum suarum defensione, cui *Testudo* nomen fecit. *Voss. disquis. de ætate Asc. Pediani.*

Janus Rutgerus in variis suis lectionibus, diversos Græcos scriptores, hæctenus latitantes, luci reddidit, quales; *Johannis Grammatici, Gazæi Tabellæ universi ἐκφρασις*, ex Bibliotheca Leidensi, cui eam inter alia legaverat *Jos. Scaliger. P. Nigidii ἐπιμνηστικὴ θεογονία, ἐκ τῶν τάγματ'.* quam ei donaverat *Johannes Meursius. Menandri & Philistionis σύγκρισις*, quam primus antea evulgaverat *Nic. Rigaltius*; hic longe edidit auctiorem. *Leonis Imp. Oracula*, quæ ipsi donaverat *P. Scriverius*, cum ea à Dou-

zis ipse accepisset, quorum frater Georgius, Constantinopoli & hæc attulerat. *Isaaci Porphyrogeneti Characteres Græcorum & Trojanorum qui ad Trojam fuere*, è Bibliothecâ Amstelodamensi. *Glossarium Græcum* è vetusto codice descriptum.

Orbe nostro non contenta fuit hæc insatiabilis librorum cupiditas, in Chinam usque, regnum olim inaccessible, perrupit Herculeus hic labor. Nil mortalibus arduum est, præsertim Monachis Anno 1577. Martinus de Heradâ provincialis ordinis Eremitarum Augustini, & Hieronymus. Martin sociique milites, ex Insulis Philippinis in Chinense regnum penetrarunt, cujus bibliothecas postea iustrabimus. Ex hac peregrinatione etiam Europæorum bibliothecæ auctæ sunt. Varios enim libros hi Patres secum ex Chinâ attulerunt, Politicos, Medicos, Physicos, Mathematicos, aliosque, quorum titulos annotavit Mendoza *Hist. Chin. part. 1. lib. 3. cap. 17.* Extat variorum librorum Chinensium bibliotheca, qui ex Chinâ cum ipsorum atramento & chartâ admirandæ magnitudinis advecti sunt. Amsterd. 1605. Testis sit mihi *Bolduanus in Bibliotheca Philos. pag. 645.*

Succedit Eruditorum labor secundus, qui in librorum ex una lingua in aliam translatione versatur. opus ut maximè arduum, ita magnificentum, & imprimis utile. Arduum quidem, tum propter linguarum cognitionem, quæ exacta requiritur, tum propter ingens laboris tædium, quod in alienis conceptibus exprimendis devorandum est. Magnificum autem, quia per istas translationes linguarum gloria

auge-

augetur, earumque termini latiùs extenduntur: Utile, quia quod unius linguæ erat antea proprium, hoc pacto ad totum genus humanum, in communem utilitatem, transfunditur. Ideo etiam reges hujus rei curam gerere non piguit. Ptolomæi enim Philadelphi jussu & auspiciis celebris illa Bibliorum, per 72. Interpretes, versio facta est. Et viri eruditissimi hoc in re operam suam studiumque collocarunt: ut patet ex Targumim, sive Paraphrasibus Chaldaicis antiquissimis, apud Judæos. Jam inde à temporibus Esræ, cum lingua Hebræa, post captivitatem Babylonicam, vulgo ignota esset, Paraphrases scribi cœperunt, quæ ut quibusdam videntur, in Synagogis, post textum publicè prælectæ sunt, quod probabile magis fit ex antiquis quibusdam MSS. Chaldaicis Paraphrasibus, in quibus, post versiculum Hebraicum, continuò sine ullâ lineæ abruptione, idem repetitur Chaldaicè, ut linguarum ignaris, continuus orationis contextus in eâdem linguâ videri possit. Atque huc referunt locum Nehem. 8. 9. *Walton. dissert. de ling. Orient. §. 29.* Inter Christianos verò plurimi sacras literas in alias linguas verterunt. De quibus Augustinus *de doctr. Christ. lib. 2. cap. 11.* „ Qui scripturas Hebræâ „ linguâ in Græcam verterunt linguam, numerari „ possunt, latini autem Interpretes nullo modo. Ut „ enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibi „ met utriusque linguæ habere videbatur, ausus est „ interpretari. Hoc studio inter Patres valde delectatus

tus est Hieronymus, qui de optimo genere interpretandi scripsit ad Pammachium, testaturque se vitam Antonii vertisse ex Græco: & Hilarium confessorem, Homilias in Job. & plurimos tractatus in Psalmos è Græco in latinum transtulisse. Vertit Hieronymus etiam Didymum de Spiritu Sancto, & multa ex Origine, unde lis illi orta cum Rufino. *In Apologia adversus Rufinum:* „Laudavi, inquit, „Eusebium in Historia Ecclesiastica, in digestionem temporum, in descriptione sanctæ terræ, & hæc ipsa „Opuscula in latinum vertens meæ linguæ hominibus dedi. *vide præfationes ejus in omnes S. Scripturæ libros. item ad Eusebii Chronicon, & Epistolam ad Augustinum tom. 3. fol. 153.*

Bibliothecis verò, unà cum literis in Italia, Germania, reliquisque Europæ regionibus, renascentibus, viri docti certatim se libris transferendis dederunt, vel ut se ipsos in utrâque lingua exercerent, vel ut aliis quibus linguarum altera incognita erat, consulerent, aliosque ad similem diligentiam excitarent. *vide Nannii Miscellan. cap. 3.* Maximè labor eorum circa authores Græcos fuit occupatus, adeo ut tota Græcia in Latium tum temporis migrasse videatur, ipsis etiam Græcis auxiliares manus præbentibus. Gregorius Tiphernas Africam Strabonis & Asiam nostris studiis adjecit. Platonem Latinitate donavit Marsilius Ficinus, Canonicus Florentinus, tantus ejus amator & admirator erat, cum nullam Christi, aut Beatæ Virginis, aut alicujus Sancti imaginem domi toleret; Platonis tamen simulachrum in cubiculo

ha-

haberet, ante quod perpetuò dies noctesque ardentem lampadem suspendit. *Bzovius ad annum 1492.* §.27. vertit etiam Plotinum, Jamblichum, Syhesium & Psellum Platonice sectæ authores nobiles. vid. *Jov. doct. vir. elog. 33.* Jul. Cæs. Scaliger, inter Heroës, hoc eum carmine celebrat :

*Sancta anima, & cœlum tibi tu quæ sæpe fuisti,
Spira in me rari flamina pura boni.
Ter cœli socia es; ter magni civis Olympi;
Ter comes, in gremium pulcra recepta, Dei.
Cum fluis ex astris; Divi momenta Platonis
Cum capis; & nunc te cum Jovis aula capit.*

Interpretationem Aristotelis multi aggressi, quidam satis infeliciter, ut fere alio Interprete, imo divino aliquo opus sit, qui interpretis sensum assequatur, & clarius exponat. Eum suum fecerunt Arabes. Inter Latinos Interpretes primum locum sibi vendicat Boethius. Inter recentiores Guilielmus Budæus, Bessarion Cardinalis, Nicenus, aliique; imprimis autem Theodorus Gaza, vir de quo propemodum dici potest, quod & Apollonius ille de Cicerone dixisse fertur, ademptam ab illo Græcis eloquentiæ laudem: Nunc contra Graji sanguinis hominem latinis ademisse: Aristotelis de Animalibus, & Theophrasti de plantis libros ita Latinos fecit, ut dum ad Græcarum compositionum exemplum, horridioris linguæ vocabula inter se aptè concinèque jungit, & vim Græcarum vocum novis Latinis accommodatè effingit atque exprimit; audaci quidem sed felici translatio;

latione, facultatem latinæ linguæ non mediocriter locupletaverit. Tanti autem candoris fuisse Gazam narrat Jovius, ut multa ex Aristotele versa Vulcano tradiderit, ne crescenti famæ hominis amicissimi Argyropili, qui eadem generosè verterat, officerent. Georgius Trapezuntius, Gaza æmulus, sed doctorum judicio neque acumine ingenii, neque iudicii dexteritate, nec utriusque linguæ peritiâ illi comparandus, vertit Eusebium de præparatione Euangelicâ, eumque Nicolao V. Pontifici Max. dicavit: Cui in transferendis operibus acceptissimus fuit, unâ cum Laurentio Valla, Petro Candido Decembri, Georgio Castellano, Demetrio, item natione Græco. Nicolaus Perottus Episcopus Si- pontinus vertit Polybium. Non defuere tamen ex æmulis, qui ejus authoris traductionem antiquissimam fuisse, furtoque surreptam existimarint. *P. Jovius in elogio.*

Homerum heroico carmine Latinum fieri magnopere cupiebat Doctorum illius temporis Meccenas Nicolaus V. P. R. plurimi hoc conati sunt. Unus verò tantum inventus est, qui acri ejus iudicio satisfaceret, Horatius Romanus, qui Scribatum Apostolicum eade re consecutus, magnisque pollicitationibus, illectus Iliadem aggressus, nonnullos ex ea libros latinos fecit. Laurentius Valla, & Angelus Politianus (*lib. 8. epist. 6.*) in Homero vertendo etiam laborarunt. Nicolaus Valla, Iliadem Homeri, & Hesiodum heroico carmine in Latinum vertit. *Fabr. Rom. cap. 21. Pier. Valer. de infelic.*

lic. literat. lib. 2. Palmam tamen illis præripuit homo Germanus, Helius Eobanus Hessus, qui non partem, sed totam Homeri Iliada Latio donavit, elegantissimo carmine heroico, quem laborem hoc Elogiò ornavit Jacobus Micyllus:

*Meonidem Latiâ memorantem prælia voce,
Versaque in Ansonios Dorica verba modos,
Castraque cum castris Danâum mutata Latinis,
Et cum Romanis pallia Græca togis,
Rem toties cœptam, sed nulli rite peractam,
Serior en etas attamen ista dedit.
Hanc laudem multi Vatum petiere priorum,
Sed propriam solus quam ferat Hessus habet.*

Addam epigramma, quod in ineptum Homeri interpretem, quasi cocum, lusit Eobanus, in quadam ad Joachimum Camerarium epistolâ:

*Restituit quondam cupido Pisiſtratus orbi
Amiſſum longo tempore Meoniden.
Fuſſit Ariſtarchus peregrinas ponere plumas,
Quas miſero audaces impoſuere manus.
Sic tandem propriâ redimitus corpora pallâ,
Fam notus domui ſolis utrique fuit.
Viderat hunc patriæ perſuſus jure Culinae,
Et dixit, veſtem non habet iſte, Cocus.
Protinus Argivi detraxit pallia cultus,
Poſſe putans Latiæ ſe dare jura togæ.
Veſte novâ cultum populus ſpectare Poëtam
Dum properat, veſtis non fuit, offa fuit.*

Item.

Q

Fure

*Fure Cocus miserum Latio, perfudit Homerum,
Dum de carne nihil, quod dare possit, habet.*

Herodotum vertit Laurentius Valla, rogatus ab Alphonso Rege, cujus salutandi gratiâ Neapolin se contulerat, cum inter eos multus sermo de rebus Persarum ac Græcorum exortus esset, quas Rex sciebat ab Herodoto conscriptas esse. Sed immaturâ morte impeditus Laurentius, ultimam versioni suæ manum imponere nequivit Rex autem libros, ut erant, Roma sibi deferendos curavit, & in Bibliotheca sua diligenter asservari jussit. *Jovian. Pontanus tom. 3. pag. 2598.* Versionem hanc postea emendavit Henricus Stephanus, ut & Herodianum à Politiano latinè loqui edoctum, hujus tamen æmuli translationem hanc Gregorio Typhernati ascribunt, eique morienti à Politiano subtractam esse dicunt. *P. Jovius in elog. Polit. & Typhernatis.*

Leonhardus Aretinus quædam ex Xenophonte, Plutarcho, Aristotele, Platone vertit. Leonhardus Justinianus, Guarinus Veronensis, Donatus Acciaiolus Florentinus in vertendo Plutarcho etiam laborarunt. Integrum vero Plutarchum aggressi sunt duo ex Germanis Gulielmus Xylander, & Hermannus Crusenius Campensis, apud Carolum Egmondanum & Gulielmum Clivensem Gelriæ Duces honesto loco, ut senator, habitus. Obiit Regiomonte in Borussia, Anno 1574. Antea medicinæ studiis operatus erat, & multa ex Galeno verterat, & ipse Erasmus ex Plutarchi moralibus quædam vertit, nec pauca ex Luciano; in quo etiam laborarunt Thomas

Morus, Philippus Melanchthon, Urfinus Velius, Johannes Sleidanus, Jacobus Micyllus, aliique. Sigismundus Gesenius in vertendis scriptoribus Græcis valde defudavit, natus in Bohemia. Anno 1554. ætatis 57. decessit, cum egestate tota vita conflictatus & lautiore fortuna dignus ab Erasmo judicatus, *Thuan. Hist. lib. 13.* Hoc pacto Græci scriptores Ecclesiastici latinè loquuntur, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Athanasius, Epiphanius, Justinus, Irenæus, quem Erasmus latinè scripsisse arbitratus est, figuris Græcis abutentem, Scaliger tamen Epistola 239. cum Græcum fuisse & Græcè scripsisse probat ex fragmentis Epiphanii, & rerum ipsius Irenæi gestarum apud Eusebium historia. Sic *Bellarmin. de script. Ecclesiast. Rivet. Crit. sacr. lib. 2. cap. 6.* B. Rhennanus præfat. ad Tertullian. contra Valentinianos Græcè in Medicea Bibliotheca extare dicitur. *Alex. Morus in notis suis ad N. T. in verbo εὐαγγέλιον,* se eo usum esse profitetur.

Sic multi scriptores ex linguis originalibus in quasvis vulgares traducti sunt. Maximè verò hac in parte laudanda est S. Scripturæ interpretatio, quam sanè utilissimam imò necessariam esse putamus, rigentibus licet, & obstrepentibus Pontificiis. *Bellarmin. de verb. Dei lib. 2. cap. 15.* qui sane hanc lucem ex versionibus proveniente in ἀκμῇ suæ tyrannidis extinguere non potuerunt. Insigne est iudicium Dei in Archiepiscopum quendam in Angliâ, qui cum magno conatu laboraret, ut publico decreto versio scripturæ in sermonem Anglicum veta-

retur, radix linguæ ejus adeo intumuit, ut nec edere, nec bibere, nec loqui potuerit, adeoque fame mortuus fit, referente *Bakero in Henrico V. Angliæ Rege*. Tum etiam Dei Spiritu excitati sunt quidam, huic impietati se opposcentes, & lucernam verbi Dei sub modio non occultantes. Nam anno 1292. Jacobus de Voragine, Archiepiscopus Genuensis, utriusque instrumenti divina volumina primus in Italicam linguam transfudit. *Bzov. & Sixt. Senens. Bibl. S.* Alphonsus sapiens verti eadem curavit in linguam Hispanicam. Carolus V. cognomento Sapiens in linguam Gallicam, Anno 1360. *Catal. test. verit. pag. 807.* Etheftanus Anglorum Rex, filius Eduardi I. in idioma Anglo-Saxonicum. *Bal. Anno 1477. V. Test.* libri editi sunt linguâ Belgicâ Delphis, Editoribus testantibus, se satis novisse Clericos hoc ægre laturos esse. *Basel. Sulp. Belg. pag. 237--241.* Bugenhagius singulis anniseo die, quo Lutherus cum suis *ouvégyois* versionem suam Bibliorum absolverat, amicos solenni convivio excipere, & quasi festum illius translationis celebrare solitus fuit. *M. Adam. in vita Bugenbag.*

Inter Latinas versiones, ea quæ vulgata dicitur, in Papatu canonizata, à Concilio Tridentino, ubi finè decretum fiebat de non ente; si quidem versio illa infallibilis declarata antequam extitit. Sed Clemens VIII. resumpsit & correxit, unde bellum Papale quod Jamesius conscripsit. *Vide Censuram V. vers. Sixtini Amama præsertim in prolegomenis. & ejusdem Antib. Bibl. lib. 1. Lensd. philol. mixt. disp.*

I. An sit Hieronymi dubitatur. Hieronymus quidem multa longè aliter vertit, & vertenda docet, sed hoc argumentum nihil probat, cum Interpp. & veteres & recentiores, in diversis editionibus diversimode multa transfulerint. V. G. Pagninus plus semel primam suam versionem interpolavit, & multos locos in Lexico aliter interpretatur, atque in ipsa Bibliorum versione fecerat. Versio Pagnini censetur accuratior, sed Junii & Tremellii apud Reformatos usitata magis, quamvis multi ægrè ferant libertatem illam, quam Junius sibi sumpsit in corrigendis Tremellianis. *Const. L'Empereur (in Discours de l'Écriture de David D. Gomari)* se hoc sæpe in eâ observasse dicit, scilicet, conceptam animo analyfin, veluti normam statui, ad quam in vertendo respiceretur: cum hoc modo à vero sensu sæpe recedatur. Memorabilis maximè est nova illa versio Belgica Bibliorum ex ipsis fontibus, iussu & non exiguis sumptibus Illustrium Ordinum fœderati Belgii, ex decreto Concilii Nationalis Dordraceni, sess. 8. opera & studio doctissimorum hujus Belgii Theologorum concinnata, & hodie in fœderatis Provinciis usitata.

— *monimentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, aut Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.*

De variis Bibliorum in linguas Vernaculas translationi-

tionibus agit *Hotting. Biblioth. quadrupart. lib. 1. cap. 3. & Sixt. Amama præfat. collat. biblica. Rivet. Isag. ad S. Script. cap. 13.*

Supereſt ut de tertio labore, ſcilicet novis libris per doctos conſcribendis & edendis ad ornamentum literarum & Bibliothecarum aliquid ſubjiciamus. Voce ergo & ſcriptis in Italia rem literariam promoverunt in jure Civili, Baldus, & duo Raphaëles, Fulgoſius atque Comenſis & Segnorolas Amedæus. In Philoſophia Blaſius Pelacanis à Parma, cujus extant in Aſtronomicis & opticis quæſtiones, & Hugo Senenſis qui tempore Concilii Ferrarienſis, præſente & invitante Nicolao Eſtenſi Principe, Græcorum Philoſophos præſentes argumentis, & dicendi copia ad ἐχεμυθίαν redegit. *Pius II. deſcript. Europ. c. 52.* Medici, Marſilius à S. Sophia, Syllanus Niger, & Antonius Vacca. In tradendis linguæ Græcæ præceptis eminebat Emmanuel Chryſolora, qui à Johanne Palæologo ſub Bajazete primo, miſſus in Europam, ut Reges adeundo, pereunti Græciæ maturam opem imploraret, perfunctus munere mandato, in Italiâ ſubſtitit, variis locis docuit, in Germaniâ obiit, tempore Synodi Conſtantienſis. Petrus item Philargus Cretenſis, ſacrarum literarum Interpres, qui poſtea Pontifex evaſit, & Alexander V. eſt appellatus. *Bzov. ann. Chriſt. 1402.* Fuerunt & alii in Italiâ, de quibus videri poteſt. M. Antonii Sabellici dialogus de reparatione linguæ Latinæ. *Item. Enn. 10. l. 1. & 3.* In Hiſpaniâ bonas literas excitavit Ælius Antonius Nebriffenſis: qui literarum amore ſponte exulans,

totius

totius fere Italiae gymnasia collustravit, Graecae, latinæque linguæ thesauros, quibus terra patria ditaretur collegit. *P. Jovius in ejus elogio.* Arius autem Barbosa, Lusitanus, primus Graecas literas in Hispaniam intulit. *Voss. de hist. lat. lib. 3. cap. XI.* Promovit verò & excoluit Joh. Ludovicus Vives, editis praesertim de causis corruptarum artium libris, quibus illos de tradendis disciplinis addidit, qualis autem deinceps ibi fuerit literarum conditio, describere placet verbis Johannis Barclaji, qui Satyrici sui *part. 4. cap. 7.* sic ait: *In Hispania, studia literarum eo cultu non nitent, quem hac etas nudis & squalentibus Musis reposuit, cum periisse videretur ille eruditionis spiritus, qui omnem scientiarum partem debet implere. Non enim Latinae eloquentiae studium ibi viget, non venustas Poëtices, non historiae, priscorumque rituum utilis & robusta lepiditas. Veterem ac pene Barbaram in querendis scientiis rationem obtinent: Philosophiae incumbunt, Theologiam amant, non spernunt Legum & canonum peritiam; Sed illas scientias Graecâ, Latinâque eruditione mitigari indignantur; putantque hoc modo fucum addi, quo virilium literarum lineamenta elangueant. Vir nuper non ignobilis in literis fame, cum ab iis, quibus obsequium addixerat, jussus esset in Hispaniâ divinarum rerum scientias profiteri, statim hac potioris doctrinae velut infamiâ eviluit, ad motisque precibus supplex, à suae libertatis dominis impetravit alias sedes, & suae humanitatis patientes. Praecipua ad Germania morem ibi eruditionis species, prolixis volumi-*

nibus pauca complecti; sed & illa plerumque ex aliis auctoribus, supervacuo labore, decerpta. Et hoc quidem Academicarum malum est. In cæteris urbibus, non adeo frequens est scientiarum commercium (nisi quod in sua regionis dignitatem, libros patrio sermone conscriptos amant habere.) Prorsus, ut in militaris nominis ambitum, videantur hanc formam severioris in Musas negligentia quasi visse. Hæc Barclajus. Inter Gallos emicuit Budæus; inter Germanos Johannes Reuchlin, cujus nomen Germanicum in Græcanicum Capnionis mutavit Hermolaus Barbarus, in cujus honorem Erasmus scripsit Ἀποθέωσιν, quæ inter ejus colloquia legitur, cum illi Conradus Pellicanus ultimum suum congressum cum Reuchlino, in thermis Cellensibus prope Hierfaugiam, quo uterque lavandi gratia venerat, narrasset. *Ex vita Pellic.* Philippus Melanchthon. Erasmus Rotterodamus, Inter Anglos Thomas Morus. De his aliisque multis consule Elogia doctorum virorum à Paulo Jovio decantata, quæ hic omnia nobis describenda essent, si hæc, pro rei & personarum dignitate, tractare nobis esset propositum. Hæc de primis literarum instauratoribus notasse sufficiat, non enim scriptorum catalogum contexere in animo est, & quotidie doctorum virorum labor in his tribus versatur, etiamnum enim videmus, aut veteres authores è tenebris erui, aut in alias linguas transferri, aut novos libros de novo exarari.

S E C T I O I I I .

HIs autem omnibus aptissimè inservit ars illa, nunquam satis laudata, Typographica, cum enim antea libri, magno labore, calamo describendi essent, ad Bibliothecas instruendas majori sumptu opus fuit, qui nunc multo tolerabilior evasit. Ars hæc inventa Harlemi in Batavia, à Laurentio Costero, quod extra controversiæ aleam ponimus, deinde in alias regiones propagata est.

Celeberrima est Typographia Aldi Manutii apud Venetos, quæ deinde ad filium Paulum, & nepotem Aldum transit. Fuit sane Aldus diligentissimus, celebratus ab Erasmo præsertim in proverbio *Festina lente*, & Guicciardino in Harlemi, urbis Bataviæ, descriptione. Bonam spem conceperat de multis authoribus in lucem eruendis, de Livio, de Trogo Pompejo, quem extare dicit apud quendam ex suis amicis in præfatione ad Lectorem, præfixâ Pompejo *Festo*. Adeo ut literæ renascentes Manutianæ familiæ plurimum debeant. Aldo Manutio hoc Epigramma epitaphium scripsit Joachimus Camerarius:

Extinctus nequeo, quamvis sim mortuus, esse

Cum toto nomen vivat in orbe meum.

Hac Aldus jaceo Romanus mole sepultus,

Qua maria Euganeis Adria miscet aquis.

Multa vigent nostrâ librorum millia cura,

Quos tuncis dederant tempora longa cibum.

Si quis adhuc igitur superest respectus honesti,

Q 5

Quic-

Quicquid id est, nostri est omne laboris opus.

*Hoc meritum & virtus vere est Romana, Deorum
Præcipuo, studiis, consuluisse bono.*

De eodem Aldo epigramma Bezæ, Lans. consult.
pag. 53.

In Demetrium Cretensem, & Dionysium Paravisi-
num Græcorum voluminum impressores sic cecinit
Politianus :

*Qui colis Aonidas, Grajos quoque volve libellos,
Namque illas genuit Græcia, non Latium.*

*En Paravisinus quanta hos Dionysius arte
Imprimit, en quanto cernitis ingenio.*

*Te quoque, Demetri, ponto circumsona Crete,
Tanti operis nobis edidit artificem.*

*Turce, quid insultas? tu Græca volumina perdis,
Hi pariunt : hydra nunc, age, colla seca.*

Apud Basilienses plurimi fuere celebres, imprimis
Johannes Frobenius, quem laudat, & cujus mortem
deplorat Erasmus Epistola ad Johannem Emstedium
Carthusianum. Eidem hoc Epigramma scripsit C.
Ursinus Velius :

*Si Regum laus est ingentes condere gazas,
Si bene de paucis promeruisse sat est.*

*Gloria nunc Regum cedat tibi, culte Frobeni,
Majus enim illorum laude merere decus.*

*Æternas qui promis opes, totumque per orbem
Digeris, ingenio, sumtibus, arte, manu.*

Item Hieronymus Frobenius, Nicolaus Episcopus,
Henricus Petrus, Johannes Hervagius, Nicolaus
Brylingerus. Alibi,

Alibi, Arnoldus Gymnicus, Wechelus & ejus hæredes, cujus bona omnia proscripta, ipse regni limitibus ejectus, reliquis ejus libris, maximâ ex parte Protestantium, Lutetiæ publicè combustis. *M. Adam: in vita Zingref. J. Cti.* Hieronymus Commelinus, cujus mortem deflet *Jos. Scaliger Epist. 405.* quia literæ in ejus interitu magnam jacturam fecerint. Multos bonæ notæ scriptores utriûsque linguæ paratos habebat, quos propediem in lucem ederet. Magnam vim talium librorum conquifiverat: Non Principum modò sed & amicorum fuorum Bibliothecas excufferat.

In Galliâ Carolus Robertus, Henricus & Paulus Stephani.

Roberto Stephano hoc epitaphium scripsit Th. Beza,

Τὰς πόλ' Ἰσδαίης τε καὶ ἑλλάδος, Ἀυσονίης τε
(Φεῦ, Φεῦ) Τὰς μέσας δειν' ἀπελαινώμας,
vide poëm. Bez. pag. 97.

Ad Henricum Stephanum est hoc epigramma Joh. Posthii, tom. 5. delit. Poët. Germ:

*Et libros facere, & doctos excuderelibros,
Longus uterque labor, durus uterque labor.
Huic gemino invigilat pariter tua cura labori,
Henrice, ô mirâ sedulitate virum!*

In Belgio Christophorus Plantinus qui officinam habuit & Antwerpia, & Lugduni Batavorum, illi successerunt Johannes Moretus, Franciscus Raphelengius, qui linguas orientales in Academiâ Leidensi professus est, & nostris temporibus Balthasar Mœrentorfius.

Cenotaphium hoc Christophoro Plantino statuit Johannes Posthius, eodem tomo deliciarum Poëticarum :

*Hoc tibi constituo vacuum, Plantine, sepulchrum,
Ad gelidas Nixi, lene fluentis aquas.*

*Dulcis amicitia monumentum ac pignus amoris,
Quem non ulla unquam tempora dissolvent.*

*Hoc tua promeruit virtus, doctrina, fidesque,
Integra, & Eois cognita & Hesperis.*

*Hoc longa exhausti meruere atate labores,
In divulgandis Chalcographa arte libris.*

*Qua te non alius vixit præstantior usquam ;
Pace loquor Stephani, pace, Wechele, tua.*

*Nunc est parta quies capitique, animoque beato,
Qua nitet aeterno lumine pura dies.*

*Ter, quater, ô Felix, cui nomen honorumque perennis
Contigit, & coelum patria post obitum.*

Plures typographos annotavit Johannes Malincrotius in suo libro de arte typographica, qui legi potest.

Celebrantur & hodie officinæ Johannis Janssonii, Elzeviriorum, & multorum aliorum, quos recensere longum esset, in librorum frontispiciis, tanquam herba parietaria, ubique apparent.

Quomodo typographiæ beneficio Patres tum Græci tum Latini è tenebris eruti, & publici juris facti sint ostendit Hotting. *biblioth. quadrip. lib. 2. cap. 4. & 5.*

Silentio hic prætereundus non est Petr. Busslerus qui suis impensis anno 1540. Inſæ, in usum Pauli

Fagii, typographiam instituit, ut, Hebræorum præcipue variis libris editis, linguæ sanctæ usus omnibus familiarior redderetur: Ad hoc opus promovendum, suo sumptu, Judæos quosdam Venetiis Isnam evocavit. Fagius quidem hac ex re nullum quæstum fecit, adeo ut ei ad Ecclesiæ Argentoratensis ministerium vocato, mille aureorum summam, quam sibi debebat, Bufflerus liberalissime remisit, *M. Adam. in vitâ Buffleri. f. Cii.*

Deplorandus & detestandus est nobilissimæ hujus artis abusus, quod hodie tot inutilium & noxiorum librorum plaustra excudantur, ut ejus cursus sufflaminandus potius, quam incitandus esse videatur: Cum illud scribendi Cacoëthes jam inde à Salomonis tempore, satis multos & tenuerit, & teneat, adeo ut nullus tandem ineptiarum modus inveniri possit, & librorum numerus minuendus sit potius quam augendus. Non dico jam de illis, qui cruda & semicocta sua studia in publicum propellunt, nec ipsi antea recte didicerunt, quæ alios docere volunt, unde sæpissime contingit, ut eorum scripta ætatem ferre nequeant, & parentibus superstitionibus filii intereant, quorum exitus est ut deferantur

In vicum vendentem thus & odores,

Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut lectione severa mitigarentur, ut sapientiæ præceptis animos componerent, ut verba atroci stylo effoderet, ut, quod vellent imitari, diu audirent, sibi nihil esset magnificum quod pueris placeret, jam illa scripta haberent ma-
esta-

jestatis suæ pondus. Negabat Cicero si duplicaretur sibi ætas, habiturum se tempus quo legat Lyricos, quibus dialecticos addit Seneca *Epist.* 49. Utinam locum haberet gravissimum consilium magni viri Gerardi Johannis Vossii, quod proponit in tractatu de *cognitione sui pag.* 31. 32. quod nisi longiusculum esset, hic inseruissem. Cui simile illud clariss. Hoornbeeckii in dissertatione de controversiis Theologicis, quæ summæ controversiarum præfigitur, ubi de librorum censura agit. *Vid. Petrarciam de remed. utriusque fort. lib. 1. dial. 44. & Acontii Epist. ad Wolfium. Viv. de trad. discipl. lib. 5. circa finem.*

Hi tamen aliquo modo excusabiles videntur (ut eâdem operâ, hunc qualemcunque nostrum laborem, qui fortasse pluribus etiam inutilis videbitur, & quo resp. literaria facile carere potuisset, excusemus) si nihil pietati, aut bonis moribus contrarium scribentes, proximi commodum ex charitate & zelo, quantum in se est, juvare & promovere conentur. Sed quam multi quotidie libri in lucem prodeunt, qui nihil nisi nugas, pietati & bonis moribus contrarias, continent? ad otiosorum hominum oblectationem, & impiarum voluntatum irritamentum, quos etiam emptores suos reperire videmus. Multi emittuntur (quod magis detestandum) qui blasphemias in Deum horrendas, hæreses insanæ & intolerandas docentes, Ecclesiæ & Reipublicæ pacem turbant, & salutem evertunt. Multi nihil aliud quam calumnias in proximum continentes, iis, tanquam

emblematibus ornatibus, emptoribus se venditant, cum

Vul-

Vulcano potius offerendi essent. Qua de re memorabilis est sententia Sabini, cum enim aliquando ad Chemnitium, Bibliothecæ Prutenicæ tunc Præfectum, venisset, &, inspectis aliquot libris polemicis, multa in illis conviciorum plaustra invenisset, indignabundus respondit; Cum hoc infelici seculo inclarescere omnes cupiant, posse quenquam hoc modo immortalem fieri, si saltem ex tot Polemicis scriptis convitiandi modos & phrasas, velut in unum fasciculum, colligeret; unde calumniari ipse nescius, si hunc locum communem tractaturus esset, copiam & variationes ad manum haberet. *Gasmerus in vita Chemn.* Itaque medium aliquod excogitandum, quo immensa illa typographorum licentia, pro lubitu quodvis excudentium, rectè coërceri posset. Quâ de re in Synodo Nationali Dordracena Anno 1618. sess. 12. Ecclesiæ querelas suas proposuerunt, & prælectæ sunt præcedentium Synodorum Nationalium constitutiones. Audita itidem super iis Exterorum ac Provincialium Theologorum consilia, quæ etiam scripto comprehensa, sess. 22. legi possunt. Ordines Generales Belgii Fœderati non semel, ad tollendos typographiæ abusus, edicta publicarunt. *vide Erasmus in Proverbio. Festina Lentè.* Laudant aliqui Gustavum Adolphum Sueciæ Regem, quod edicto publico omne Metaphysicæ studium, omnes etiam libros Metaphysicos ex regno suo exterminaverit; sed majori laude edicta impios libros vetantia prosequenda esse, nemo negare ausit, qualia fuerunt illa Impp. Valentis & Martiani, *L. Quicumque. Cod.*

de hæreticis & Manichæis. Theodosii & Valentiniani *L. Damnato. eod. tit.* Nec vero impios libros nefandi & sacrilegi Nestorii &c. Justiniani in *Synodo Constantin.* 5. *act. 1. tom. conc. 2. pag. 462.* Constantini ipsius *hist. trip. lib. 2. cap. 15.* Adde *Gudelin. de jure noviss. lib. 6. cap. 15.*

Plato Homerum, cum toto lascivorum Poëtarum choro, ex *Republ. sua* exterminari voluit. Athenienses Diagoram Philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorare se an Dii essent: deinde si sint, quales sint. *Cic. lib. 1. de nat. Deor. Val. Max. lib. 1. cap. 1.* Protagoræ hæc contigisse ait Lactantius de ira Dei, cap. 9. Lacedæmonii libros Archilochi ex civitate sua exportari iusserunt, quod eorum parum verècundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. *Val. Max. lib. 6. cap. 3. vide August. Confess. lib. 2. cap. 13. 14. 16. 17. adde Patres qui contra gentilium vanas religiones scripserunt: Imprimis Basilium in Homilia ad adolescentes, quomodo ex gentilium doctrinis proficiant. Possevinus Biblioth. select. lib. 1. cap. 48, 49. 50. de librorum correctione, emendatione, purgatione, scriptione eorum qui edendi, qualis esse debeat, item censura fuse agit.*

In excessu hic peccat Ecclesia Romana, ut infra, Cap. 13. latius declarabitur, quæ ad suum tribunal non tantum libros Theologica tractantes, sed etiam Philologicas quæstiones vocat; in quibus ta-

men

men nulla versatur hæresis, nec ulla absoluta necessitas, vel sic vel aliter sentiendi. *vid. Casaub. ad Baron. exercit. 14. ann. 32. num. 7.* Turpissime hic se prodiderunt Fraterculi in actione contra Laurentium Vallam, *Hotting. hist. Eccl. N. T. part. 5. pag. 247. & c.* iudicium de rebus non intellectis ferentes. Nec omnibus probatur censura illa, quam Thessaliæ Episcopi, in provinciali Synodo, strinxerunt in Heliodorum Tricensem Episcopum, non dilutæ auctoritatis scriptorem, ut à Politiano dicitur *Miscel. cap. 3.* Hi enim opus illud Æthiopicum igne consumendum damnarunt, aut Episcopum de dignitatis suæ fastigio dejiciendum iudicaverunt. Hoc posterius maluit Heliodorus, nominis æternitatem, quam eo scripto consecutus est, Episcopatus honori præferens. *Niceph. Callist. hist. Eccles. lib. 12. cap. 24.*

C A P U T X.

*De Bibliothecis celebrioribus
in Europâ.*



Hoc capite Bibliothecas per Europam recensebimus, sed celebratiores tantum. Quid enim attinet omnes congerere? infinitum hoc esset: nec omnes mihi notæ sunt. vix enim urbs aliqua paulo celebrior, vix aliquod collegium, Academia, Gymnasium, Monasterium, ubi non Bibliotheca in publicum studio-

R

forum